



Dies auf 15



2 1 Σεπτεμβερίου V

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
NATURA ET  
DEFINITIONE  
ECCLESIAE  
*QVAM*  
P R A E S I D E  
JOHANNE MUSÆO, SS.  
THEOL. D. & P. P.  
PUBLICO EXAMINI  
SUBMITTIT  
M. JUSTUS KÜNNEKEN  
Hildesia Saxo.  
*AD IV. CAL. MAI.*  
IN AUDITORIO THEOLOG.  
*HORIS ANTE- ET POST MERIDIANIS.*



J E N Æ

Typis CASPARI FREYSCHMIDII.  
ANNO M. DC. LV.

V I R I S

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,  
Clarissimis, Variarumq; Rerum Civilium Usu  
Experientissimis*

**DNN. CONSULIBUS,**  
**SYNDICO, EQUITUM MAGISTRIS,**  
**ORDINI SENATORIO, CAMERARIIS &**  
**SPECTATISSIMO OCTODECIM VIRORUM ORDINI,**  
**CELEBERRIMÆ VETERIS HILDESIENSIS REIPUBLICÆ**  
**FULCRIS, PATRIÆ SUÆ PATRIBUS**  
**EXOPTATISSIMIS.**

*DNN. Mecœnatibus, Patronis & Pre-  
motoribus suis maximis, submissaq; animi  
obseruantia eternum Venerandis*

*Disputationem hanc Theologicam, in  
perpetuantis ac debitæ Observantie  
significationem, studiorumque suo-  
rum Commendationem*

*Consecrat & inscribit*

**M. JUSTUS KÜNNEKEN**  
*Hildesiâ Saxo.*

Peregrinatio Dn. M. KÜNNEKEN S.S. Theol. Cuk.  
maxime strenuo de preclaro eruditionis Theologica  
specimine amicè gratul.

**Q**ui faciem pulcrè depingis, chare, Jehovæ  
Cœtus, quondam hujus stella corusca clues.  
Joh. Ernestus Gerhardus D. P. P.  
& h. t. design. Pro-Rector.

**S**i quis erit, tua qui, facto-sancta Ecclesia, membra  
Nesciat, aut quoniam stentque cadantque loco,  
Nescier is pariter, lateat quæ lerna malorum,  
Quosq[ue] dolos Papæ publica larya tegat.  
Te lando, qui tanta studes addiscere. Perge  
Hacce viâ, & sacris invigilare libris.  
*Amoris & benevolentia testanda causa*  
apponebat  
Præses.

Ad Eximum & Humanissimum Dn. M. RESPON-  
DENTEM, Amicum sum.

**U**nica, Sancta, Dei Domus, est Ecclesia : matre hac  
Qui caret; in cœlis non habet ille Patrem.  
Hujus Naturam quare dum tradis, AMICE:  
Monstras, quod cura sit Tibi sancta Domus.  
Gratia, pax, fidei robur, spes, tutu salutis.  
Anchora, sunt hujus dona decora Domus.  
Ingredere hic Deus est ; bipaten hic porta salutis!  
Hic & ad aetheras est via recta domos.  
Gratulor his ausis ! precor ut sint, Numine dante,  
Fausta ; ferantque Tibi commodum multa brevi!  
*Amoris & benevolentia testanda causa faciebat,*  
Christianus Chemnitius, D. P. P., Pastor &  
Superintendens.

**D**um fortè nisu, doctas è pectore docto  
Sparsurus voces, pulpita, celsa petis;  
Præclararum limata Tibi sapientia famam,  
KÜNNEKEN, Aonidum gloria summa, parat.



*Tu Dens ē Pindo cantar, te docta juventus  
Appellat, Sophies Eulēbēsg̃ decus.*

*Eximiē docto*

Dn. M. Künnekenio, SS. Theol. Cultori strenuo,  
inquilino & convictori suo dilectissimo, de  
Ecclēsia publicē disputaturo, ex animo  
gratulatur

*Johann: Zeisold, Prof. Publ.*

**H**ectora Christianæ Trojæ Te dico futurum,  
Tām benē dum facies ejus aperta Tibi.  
*boni omnis causā*  
*Præ-Eximiō Dn. M. KÜNNEKEN, Consalino amicissimo*

*M. Casp. Posner, Phyl. Prof. Publ. Extr.*

Ad Perquam Eximum & clarē doctum  
DN. M. RESPONDENTEM,

Compransorem & Amicum suum æstimandum,  
**T**heologia KÜNEKENE decus, pictaris imago,  
Suada Sophi, noster non variandus amer,  
Ecclēsia nostra propugnas dogmata vera;  
Credas, ipsa brevi Te sibi præficiet.  
Quod cum plauso secundo &  
intemperato affectu optat  
*M. ANDREAS CHRISTOPHORUS SCHU-  
BARTIUS Hallensis Saxo.*

**I**nclita pro rostris experta est Jena leporis  
Flectere te plebem non sine melle suam.  
E cathedrā Te Jena theses cum laude tueri  
Jam videt, ingenium judiciumque probans.  
Hinc Doctis tutela placet, flexurāq; plebi,  
Flexanimus tutor sic, deamande, places.

*quibus*

*Pere ximio, ac Eruditissimo Dn. Magistro Künnekenio,  
Civi ac Amico suo summe dilecto gratulatur  
M. Henricus Schomburg Hildesiā-Saxo.*

**F I N I S.**



Σὲν Θεῶ

# DE ECCLESIA DISPUTATIO THEOLOGICA.

I.

Ecclesia est vox origine Græca, dicta Ecclesia vox.  
διὰ τὴν ἐκκλησίᾳ ab evocando, & si vim  
vocis species, quemvis denotat ceterum, ex  
reliqua hominum multititudine quacunque  
de causa evocatum. Nam præpositio ἐκ,  
cum qua componitur verbum ἐκκλησίᾳ,  
involvit respectum quandam ad alios ho-  
mines, quorum è consortio, qui Ecclesiam constituunt, vocantur.

II. Ex usu loquendi autem Ecclesia apud veteres quandoq; *Ejus significatio*  
dicta fuit quælibet hominum concio, sive legitime fuerit convo-  
cata, sive contra leges quorundam instinctu, vel etiam proprio  
motu coierit. Ita *Act. XIX. 40.* seditus Ephesiorum concursus,  
Demetrii ejusque asseclarum instinctu factus ἐκκλησία, & *v. 32.*  
ἐκκλησία συγκεχυμένη Ecclesia seu concio inordinata sive confusa  
dicitur: cui *v. 39.* opponitur ἐκκλησία ἔρων & legitima concio.

III. Alias in sacris literis, ut & apud Ecclesiasticos Scripto-  
res cum veteres tum recentiores Ecclesia usitate dicitur congregatio  
sanctorum, quos salutis æterna causa DEI promiscua impio-  
rum colluyit per prædicationem Verbi evocavit, & per Verbum  
ac sacramenta sanctificavit. Quæ significatio hujus loci est, & cum  
primis Gentium Apostolo frequenti in usu posita, qui in inscriptio-  
nibus Epistolarum suarum Ecclesia DEI; & sancti, vocati sancti, fi-  
deles, sanctificati, collectum sumti idem denotant. Videantur *Rom. I. 7.* *I. Cor. I. 2.* *II. Cor. I. 1.* *Eph. I. 1.* *Phil. I. 1.* *Col. I. 2.* *I. & II.*  
*Theff. I. 1.* &c.

A.

IV. Sicut



**Sanctorum duplex status.** IV. Sicut autem Sancti considerari possunt vel ratione praesentis vite, in qua sub vexillo Christi contra Satanam, mundum, & carnis suæ concupiscentias adhuc militant, Eph. VI. 10. seqq. I. Petr. V. 8. 9. I. Job. V. 4. Rom. VII. 14. seqq. Gal. V. 17. vel ratione futura & celestis vite, in qua devicto Satana, mundo & peccato in eterna felicitate & gloria cum Christo triumphantur, Apoc. II. 10. 26. 27. c. IV. 4. c. VII. 9. ita Ecclesia, quæ ex sanctis constat, diversimodè considerari & accipi potest & solet.

**Ecclesie distinctiones.**

V. Et quidem I. accipi ea potest pro toto cœtu sanctorum, cum militantium in hac vita, tūm in altera jam triumphantium. Ita sumi videtur Ecclesia Ebr. XII. 22. 23. & forsan Matth. XVI. v. 18. Eph. I. 22. c. V. 23. seqq. II. pro cœtu sanctorum, in celis jam cum Christo triumphantum, Eph. V. 27. Apoc. VII. 15. c. XXI. 10. seqq. III. pro cœtu sanctorum, in terris adhuc sub Christi vexillo militantum, quæ inde Ecclesia militans dicitur. Atque hæc significatio in Scripturis & communii usu loquendi frequentior est. Inter alia videantur I. Tim. III. 16. Act. XX. 28. I. Cor. XII. 28. c. XIV. 4. s. Rom. XVI. 4. I. Cor. XVI. 19. II. Cor. IX. 1. &c.

VI. In praesentia, missis reliquis significationibus, Ecclesiam, militantem bono cum DEO sumus consideraturi.

VII. Ceterum quia Ecclesia est ens per aggregationem, ut loquuntur, & quidem aggregatum ex hominibus, unum corpus, idq; spirituale & mysticum constituentibus, cuius caput Christus est, docente Paulo Rom. XII. 5. I. Cor. XII. 22. Eph. I. 22. 23. c. V. 30. Col. I. 18. ejus naturam & definitionem tradituro cum primis investigandum incumbit, quænam illius vera membra sint.

VIII. Diximus autem jam ante, Ecclesiam propriè sic dictam non denotare quemlibet hominum cœtum, sed cœrum fidelium & sanctorum. Ex quo facile intelligitur, ejus vera & propriè sic dicta membra esse fidèles & sanctos: id quod hodiè à memine, quod sciam, in dubium vocatur, nisi quis forte de catechumenis & excommunicatis, qui fidem & charitatem habent, cum Bellarminus scrupulum moverit: quâ de re suo loco sumus acturi. Utrum vero soli fidèles & sancti; at vero alii etiam non sancti propriè dicta ejus membra sint; de eo disceptatur inter nos & Pontificos.

IX. Bellarminus d. l. c. II. definit Ecclesiam, quod sit cœrus homini-

**Membra Ecclesie.**

**lib. III. de Eccles. Mil. c. III. & VI.**

**Bellarmino opinio.**



hominum, ejusdem Christiane fidei professione & eorundem Sacramentorum communione colligatis, sub regimine legitimorum pastorum, ac precipue unius Christi in terris vicarii Romani Pontificis, & proinde formalem rationem, per quam Ecclesia membra in esse suo constituantur, positam vult in externa cum fide Christiana cum sacramentorum communione, conjuncta cum subjectione ad Pontificem Romanum, sive interioribus etiam virtutibus spirituibus fidei, spe & charitate pollent, sive minus. Unde ibid. ab Ecclesia excludit, quotquot non eandem cum Romana profiterunt fidem, aut non eadem sacramenta cum ea habent communia, vel Romani Pontificis imperium detrectant, si vel maximè interna fide & sanctitate non destituantur; incledit autem eidem tanquam membra vera alios omnes, etiam si reprobis, celesti & impii sint.

X. Contrà autem Augustanam Confessio art. VII. definit Eccliam per congregationem sanctorum, & seq. art. VIII. vocat eandem sanctorum & verè credentium congregationem. Quam sententiam Apologeta ejusdem art. VII. fulius, & inter alia etiam ex symbolo Apostolico dedit, quo jubet auctor credere sanctam Ecclesiam Catholicam. Impii vero, inquit, non sunt Ecclesia sancta. Et videtur additum, quod sequitur, sanctorum communio, ut exponeretur, quid significet Ecclesia, nempe congregationem sanctorum, qui habent inter se societatem ejusdem Evangelii, seu doctrinae, & ejusdem Spiritus Sancti, qui corda eorum renovat, sanctificat & gubernat.

XI. Juxta Augustanam Confessionem igitur ejusque Apologiae, Ecclesiæ propriè sic dictæ membra vera sunt omnes & solidi verè credentes & sancti. Quod ut rectè intelligas, ante omnia hic explicandum venit, quosnam dicamus verè credentes & sanctorum.

XII. Credentes seu fideles dicuntur à fide. Sicut autem fides alia in nudo quorumvis credendorum assensu alia speciatim in assensu cum applicatione meriti Christi ad credentem posita est, & fiduciam imperrandæ apud Deum remissionis peccatorum propter Christum intrinsecè includit: ita credentes quidem in genere dici possunt, quicunque credunt vera esse, quæ in Scripturis revelata sunt; specialiter tamen & propriè credentes dicuntur, qui verè fide

Credentes qui  
sint.

A 2 Christ.



Christi meritum amplectuntur, inq; eo oīnūm suā fiduciā  
habent desixam. Atq; hos volumus intellectos, cūm Ecclesiæ  
membrā vera dicimus esse credentes. Nihil plerunque addere  
solemus, credentes & sanctos, ad excludendum eos; qui licet  
credant vera esse, quæ DEUS in verbo suo revelat, fiduciā tamen  
fiduciā, in Christi merito radicata destituuntur, e. hac  
fide generali non magis denominare possumus / in  
diabolos, qui etiam credunt, unum esse D'Em, &  
Jac. II. 19 Qui autem speciali fide, Christi meritum apprehendente  
pellent, illi demum sunt & recte dicuntur sancti (1) per iustitiam &  
sanctitatem Christi, fide sibi imputatam. Justificantur enim, seu pec-  
catis sibi condonatis in conspectu DEI reputantur justi & sancti  
gratis per fidem, quā ipsis applicatur iustitia & sanctitas Christi, facti  
nobis à DEO iustitia & sanctificatio, I. Cor. I. 30. Videantur inter  
alia Rom. III. 28. c. IV. 5. seqq. I. Cor. VI. 11. &c. (2) per  
sanctitatem internam sibiique inhārentem. Nam verè creden-  
tes posteaquam crediderunt, obsignati sunt spiritu promissionis  
sancto, Eph. I. 13. & proinde habent Spiritum sanctum in cordi-  
bus suis, clamantem Abba Pater, Gal. IV. 6. qui restatur una  
cum spiritu nostro, quod sumus filii DEI, Rom. VIII. 16. auxiliatur  
infirmitatibus nostris, & intercedit pro nobis gemitus in  
enarrabilibus v. 26. dicit seure regi nos in actionibus nostris v. 14. san-  
ctificat nos, ut sumus ipsius templum sanctum I. Cor. III. 16. 17. II.  
Cor. VI. 16. I. Thess. V. 23. agit in nobis & ut velimus & effica-  
muss Phil. II. 13. & fides nexus individuo conjuncta est cum  
charitate, per quam & operatur, Gal. V. 6.

Sanctorum  
infirmitates. XIII. Hac tamen interna credentia sanctitas non est omni-  
bus numeris perfecta, ob adhærentes carnis infirmitates,  
per quas sit ut caro concupiscat adversus spiritum, Gal.  
V. 17. & sapientia non quæ volumus, sed quæ non volumus, faciamus. Rom.  
VII. 19. 20. Id tamen, quicquid est imperfectionis, per Christi me-  
ritum, fide apprehensum DEI in iudicio regitur, Rom. IV. 7. 8. nec  
imputatur credenti, sed remittitur ei gratis, ut nihil quicquam ob-  
stante hac naturæ corruptione, non sit narrāt̄ e p̄a r̄is c̄r̄x̄s̄ w̄,  
Rom. VIII. 1.

Calumnia  
Pontificio-  
rum. XIV. Calumnia igitur est, quod Franc. Suarez de Trip. Virt.  
Theol. diss. IX. Sct. 1. n. 8, scribit, Lutheranus idem ferè sentire cuim  
Catharis



Catharistis & Pelagianis, qui iuxta Aug. heres. XXXVIII. & XXXIX.  
docuerunt, solos justos esse de Ecclesia, qui nullum peccatum habent.  
Cui calumnia coloranda prætendit, quod Lutherani solum justos  
dicant constitueret Ecclesiam, nec peccatum umiale à mortali distin-  
guant: in quo ipsi præivit Bellarminus d. l. hac usus consequentiâ:  
Si soli justi sunt partes vera Ecclesia, & omnia peccata, quantum vis  
levia, sunt peccata mortalia, & faciunt hominem injustum; sequitur,  
solos perfectos & omni peccato carentes esse de Ecclesia.

Responsio.

XV. Verum si recte expendatur nostra mens, nihil opus erit  
operosa refutatione. Oppidò enim patet, consequentiam Bel-  
larmini esse lubricam, imò nullam. Augustana Confessionis & no-  
stra sententia est: vera Ecclesia membra esse solos verè credentes,  
eosque esse quidem *justos*, sed justitia Christi, fide apprehensâ;  
esse interius quoque *sancctos*, sed sanctitate, multa cum infirmitat-  
conjunctâ, & licet infirmitates, ex natura corruptâ adhærentes,  
secundum se spectata & naturâ suâ sint peccata mortalia, in credenti-  
bus tamen mortalia peccata non sunt, sed venialia: quia propter hri-  
sti meritum fide apprehensum iis condonantur. Unde non lequitur:  
Ecclesiæ membra sunt verè credentes & sic justi per fidem. Ergo in se  
perfecti sunt & absque omni peccato. Nam ad fidei justitiam non  
requiritur, ut in se sit perfectus & absque omni peccato, qui per-  
eam constitutus justus, sed sufficit, si peccatis contra conscientiam  
patratis, quibus fides & Spiritus Sanctus excutitur, non sit conta-  
minatus. Infirmitatis peccata autem, licet suâ naturâ mortalia pec-  
cata sint, credenti tamen venialia sunt, idque ex accidente, propter  
Christi justitiam fide apprehensam, quæ proinde in verè credenti-  
bus non impediunt, quod minùs coram Deo verè sint & dicantur  
justi & sancti. Benè hac de re B. Lutherus in Comm. in c. V. Epist. ad  
Gal. Tom. V. oper. Latin. Wueb. fol. 423. Nos sic docemus: Ecclesiam  
non habere maculam aut rugam, sed esse sanctam, per fidem tamen in  
Jesum Christum. Deinde in vita per abstinentiam à concupiscentia  
carnis, & per exercitum spiritualium fructuum; Sed nondum esse  
sanctam per liberationem & ademptionem omnium desideriorum malo-  
rum, nec per expurgationem omnium impiarum opinionum & erro-  
rum. Semper enim satetur Ecclesia peccatum suum, & orat sibi di-  
mitti debita sua. Item credit remissionem peccatorum. Quare sancti  
peccant, labuntur, & etiam errant, sed per ignorantiam &c. Et præ-  
ced. fol.



ced. fol. 422. b. Sic verè sancti sunt ministri verbi, Magistratus politici, parentes, liberi, heri, familia &c. sive unum omnium certior statuant, Christum esse suam sapientiam, justitiam, sanctificationem & redemtionem. Deinde si unusquisque ex prescripto Verbi DEI faciat officium in vocatione sua, carnis non obsequatur, sed spiritu reprimat desideria & concupiscentias ejus. Quod non omnes aquæ sunt firmi, sed multæ adhuc imbecillitatem & offensiones cernuntur in plerisque, hoc nihil impedit eorum sanctitatem, modo non ex destinata malitia, sed ex imbecillitate peccant, &c.

Vera membra  
Eccl.

XVI. Atque sic constat, quinam Ecclesiæ propriæ sic dictæ vera membra sint; nempe omnes & soli credentes & sancti, puta qui ex fidei justificati pacem habent erga DEum per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. V. 1. & per gratiam Spiritus S. quoad in hac carnis infirmitate possunt, sanctimoniam vita se cantur, Ebr. XII. 14. Quorum in censum veniunt non modo perseverantes in fide, nec soli credentes baptizati, qui externam habent societatem cum aliis membris, sed etiam catechumeni & excommunicati, si qui tales dentur verè credentes & sancti: qui omnes & singuli tantisper Ecclesiæ vera & viva membra sunt & manent, dum fidem retinent, nec per peccata contra conscientiam commissa Spiritus sancti templa esse desinunt. Hoc ipso enim, quod credunt, & quādū credunt, in Christo sunt tanquam palmites in vite, fructumque proferunt multum Job. XV. 5. & accensentur iis, in quibus Christus vivit Gal. II. 20. Quamprimum vero fidem & Spiritum S. per peccata contra conscientiam commissa excusserint, Christi corporis etiam seu Ecclesiæ membra vera & viva esse desinunt. Simil ac enim expirat fides, qua est velut anima creditis, avellitur homo a Christo capite, nec amplius ab ipso vitam & motum spiritualem habet, & nisi respiccat, & per fidem rursum Christo inseratur, aliquando ut putridum & mortuum membrum reapse absindetur, & in ignem coniicitur, juxta illud Christi: *Sicut palme non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; ita nec vos, nisi in me manseritis. Nisi quis in me manserit, abjectus extra vineam, ut palmes exarescet: deinde colliguntur illi palmites & in ignem abiciuntur, Job. XV. 4-6.*

Forma mem-  
borum.

XVII. Quibus ita se habentibus difficile non est ostendere, quænam

quænam *forma* sit, per quam Ecclesiæ membra vera sint, quod sunt, seu in esse membrorum Ecclesiæ constituantur: nempe *fides*, non quælibet, sed specialis illa, quâ Christi meritum apprehenditur, certam includens fiduciam impetrandæ apud Dèum Patrem remissionis peccatorum propter Christum. Eam individuo nexus comittatur illa, de qua diximus, *santitas interna*, ad renovationem pertinens, multaque cum infirmitate conjuncta.

XVIII. Quod fides sese habeat per modum formæ, qua in esse suo constituantur Ecclesiæ membra, probamus

(1.) ex natura Ecclesiæ, quæ est Christi corpus, idque spiritualliter vivum, aggregatum ex membris vivis, quæ à Christo tanquam à capite, spiritum suum in ea diffundente, vitam & motum habent, in seintipisis, Rom. XII. 3. seqq. I. Cor. XII. 3. seqq. Eph. IV. 7. 12 seqq. Unde quod Ecclesiæ membris intrinsecè largitur vitam spiritualem, quæ in Christo vivunt, & Christus in ipsis, per illud etiam ea formaliter constituuntur in esse membrorum. Atqui fides illa specialis, quâ Christi meritum apprehenditur, largitur Ecclesiæ membris intrinsecè vitam spiritualem, quæ in Christo vivunt, & Christus in ipsis. Ergo per eandem Ecclesiæ membra formaliter constituuntur in esse membrorum. Major propositio ex dictis evidens est. Quia enim Ecclesia est Christi corpus mysticum, aggregatum ex membris spiritualiter vivis, non potest cujusque membra forma in alio consistere, quam in eo, quod cuique intrinsecè dat esse vitæ spiritualis, perinde ut in corpore humano cujusque membra propriè dicti forma dicatur, quod ei intrinsecè dat esse vitæ. Minor autem probatur ex Hab. II. 4. Rom. I. 17. Gal. III. 11.

XIX. (2.) ex descriptione Ecclesiæ allegorica, quod sit *domus spiritualis*, extructa ex lapidibus vivis super lapidem vivum, angularem, pretiosum, electum & sumum Christum, I. Petr. II. 4. seqq. Nam à quo intrinsecè habemus, quod dicimus *lapides vivi*, adificati super Christum tanquam lapidem vivum & pretiosum, per illud etiam formaliter constituimur *membra domus spiritualis Christi*, h. e. Ecclesiæ. Atqui à fide habemus intrinsecè, quod dicimus *lapides vivi*, adificati super Christum tanquam lapidem vivum & pretiosum. Ergo per fidem formaliter constituimur *membra domus spiritualis*, h. e. Ecclesiæ. Major propositio ex terminis patet. Nam *membra domus*

1. ratio.

arg.

2. ratio.

arg.



domus spiritualis, h.e. Ecclesiae non possunt esse alia, quam ex quibus  
domus ipsa dicitur aedificata. Illa autem dicitur aedificata ex lapidibus  
vivis. Ergo lapidem vivum esse, superstructum angulari lapidi Christo,  
& membrum esse domus spiritualis seu Ecclesiae, quoad rem non diffe-  
runt. Necesse igitur est, per id ipsum nos formaliter constitui  
Ecclesiae membra, à quo intrinsecè habemus, quod dicimus *lapi-  
des vivi, superstructi angulari lapidi Christi.* Minor verò constat ex  
*I. Petr. I. 6. 7. Confer Rom. IX. 32. seqq.*

3. ratio.

XX. (3.) Ex comparatione Ecclesiae cum olea, cuius rami erant  
Judæi credentes, post à excisi per incredulitatem, & cui in eo-  
rum locum insiti sint gentiles conversi perfidem, *Rom. XI. 17. seqq.*

Ex quo ita colligo: Per quod Judæi erant rami oleæ spiritualis,  
& conversi gentiles eidem insiti ejus rami facti sunt, & quo ecclæ-  
te utriq; desinunt esse oleæ illius rami, per illud etiam Ecclesiae  
membra formaliter constituuntur in esse membrorum Ecclesiae.  
Atqui per fidem Judæi erant rami oleæ spiritualis, & per eandem  
conversi gentiles ei insiti ejusque rami facti sunt, & cessante fide  
utriq; desinunt esse ejus rami. Ergo per fidem membra Ecclesiae  
formaliter constituuntur in esse membrorum illius.

XI. Major propositio suâ luce radiat. Nam olea illa-  
spiritualis, qua de *Paulus d.l.* agit, nihil est aliud, quam Eccle-  
sia in Abrahæ posteritate conservata, cuius rami *v. 21. Φίσων* v. 21,  
dicuntur Abrahæ posteri sancti, quod ab ipso, cui & semini suo fa-  
cta erat promissio *Rom. IV. 13. Gal. III. 16.* tanquam à radice origi-  
nem trahent, ut colligatur ex *Rom. XI. 16.* Contrà autem genti-  
tiles conversi *ibid. v. 17. 24.* comparantur ramis, ex oleastro excisis,  
& olea h. e. Ecclesiae insitis, utpote qui olim erant sine Christo, ab-  
alienati à republica Israëlis & extranei à testamentis promissionis; & sic  
spern non habentes & absque DEO degentes in mundo, *Eph. II. 12.*  
erant instar oleastri: nunc autem per Christum Jesum facti sunt pro-  
pinqui per sanguinem ipsius, qui est pax nostra, & sublato intersti-  
tio ex uirisque unum fecit v. 13. 14. qui proinde insiti olea & ejus ra-  
mi facti sunt per hoc, quod conversi ad Christum Ecclesiae membra  
facti sunt, & cum ea in unum corpus coaluerunt. Quibusstantibus  
evidens est, quod ramum esse olea spiritualis, nihil aliud sit, quam Eccle-  
siae membrum esse, & olea inseri idem, quod Ecclesia implantari ejusq;  
membrum

*membrum fieri.* Ex quo necessariò sequitur, formalem rationem, quâ Ecclesiæ membra in suo esse constituantur, esse id ipsum, per quod Judæi olim oleæ spiritualis rami, (h. e. Ecclesiæ membræ) fuerunt, & per quod gentiles postea eidem insiti, ejusque rami (h.e. Ecclesiæ membræ) facti sunt, & quo cessante cum hi tunc illi rami oleæ (seu Ecclesiæ membræ) esse desinunt. In hoc enim constat cujusque rei formalis ratio, quod per eam res est, quod est, & cæ cessante, desinit esse, quod est.

XXII. Minor autem tria continet probanda. Uatum est: *Judeos fuisse per fidem ramos oleæ.* Alterum *gentiles per fidem esse eidem insiti.* Tertium, *cessante fide, Judeos desistere oleæ ramos seu Ecclesiæ membræ esse.* Primum probatur: quia oleæ hujus spiritualis rami, quoad rem, ut ostensum, nihil aliud sunt, quam *semen Abraham* juxta promissionem, seu filii promissionis, ut loquitur *Paulus Rom. IX. 8. Gal. IV. 28.* qui scil. ab Abrahamo ceu radice descendunt juxta promissionem. Per justitiam fidei autem contigit *Abraham* promissio, *Rom. IV. 13.* & qui est ex fide *Abraham*, ille est promissionis filius, *ibid. v. 16. Gal. III. 7. & 9.* Ergo per fidem iudem sunt rami & confortes radicos & pinguedinis oleæ, ut *Pauli* verbis utar ex *Rom. XI. 17.* Secundum & tertium autem clare docentur *Rom. XI. 20.* cum dicitur, *Judeos tanquam ramos quæ Quidam defractos esse per incredulitatem, qui tamen rursum inseri possint, si non permaneant in incredulitate v. 23.* gentiles vero conversos fide stare in olea ut ramos, *quæ Quidam insiti.* Si autem per incredulitatem defracti sunt rami *quæ Quidam*, utique cessante fide desierunt esse, quod erant: & si iidem, cessante incredulitate, rursum inserentur, rami insiti autem h. e. gentiles conversi per fidem in ea stant, utique per fidem. & illi inserentur, & hi insiti sunt. Tunc enim illi desinent permanere in incredulitate, cum incipient credere, & per fidem esse in Christo; & hi per idem insiti sunt oleæ, & in esse ramorum constituti, per quod stant in olea, seu in esse ramorum persistunt. Quod pertinet, quod de gentilibus Scriptura claris verbis docet, benedictionem *Abraham* derivari in eos per *Christum Iesum*, ut promissionem spiritus acciperent per fidem, *Gal. III. 14.* ex fide eos esse filios *Abraham*, iustificari & benedici cum fidelib. *Abraham*, *ib. v. 7.* seqq. ex fide dare hereditatem, ut secundum gratiam serm. sit promissa uni-

verso semini, quod est ex fide e Abram, Rom. IV. 16. nec Israëlem seu populum DEI esse, vel recenseri in semen nisi eos, qui sunt filii promissionis per fidem, Rom. IX. 6. seqq. Gal. IV. 30.

IV. ratio.

XXIII. (4.) Per fidem adoptamur in filios & populum DEI, sumusque in Christo unus omnes, quotquot per fidem Christum indatimus, juxta illud Gal. III. 26. 28. Omnes filii Dei estis perfidem in Christum Jesum: non est Judaeus neque Graecus, non est servus, neque liber, non est masculus ac feminina: omnes enim vos unus estis in Christo Jesu. Confer Job. I. 12. Hinc rursum tale nascitur argumentum. :

Per quod adoptamur in filios DEI, per illud etiam formaliter constituimur Ecclesiæ membra. Ratio est: quia Ecclesia, quoad rem, nihil est aliud, quam filii DEI adoptati collectum sumti, & per hoc inscritur quis Ecclesiæ, quod in numerum seu cœtum filiorum DEI adoptatur. Sed per fidem adoptamur in filios DEI, Gal. III. 26. Job. I. 12. Ergo per fidem quoque formaliter constituimur Ecclesiæ membra.

V. ratio.

XXIV. (5.) Ecclesiæ membra vera sunt concives sanctorum, & domestici DEI, superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum summo angulari lapide ipso Christo, Eph. II. 19. 20. Confer Matth. XVI. 18. Ex quo rursum tale oritur argumentum: Per quod accipimus jus civitatis spiritualis, ut simus concives sanctorum & domestici DEI, superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, per illud etiam formaliter constituimur Ecclesiæ membra. Sed per fidem accipimus jus civitatis spiritualis, ut simus concives sanctorum & domestici DEI superstructi super fundamentum Apostolorum & Prophetarum &c. Ergo per fidem constituimur formaliter Ecclesiæ membra. Major propositio evidens est. Nam propriè loquendo Ecclesia membrum esse, & esse concives sanctorum superstratum super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, idem denotant. Ecclesia enim est civitas seu congregatio sanctorum, cuius membra nihil sunt aliud, quam concives sanctorum, qui superstructi sunt super fundamentum Apostolorum &c. Minor probatur: quia per fidem accipimus iugos tenua Iesu Christi Job. I. 12. Gal. III. 26. & ius hereditatis cœlestis e. IV. 7. Rom. VIII. 17. Sed filium DEI fieri, & consimi heredem DEI



*DEI & cohæredem Christi, quoad rem, idem est quod constitutus concivem sanctorum & domesticum DEI. Neque per fundamen-tum Prophetarum & Apostolorum quicquam denotatur aliud, quām fidei doctrina de Christo, à Prophetis & Apostolis prædicata, cui cœu fundamento non possumus aliter superstrui, quām per fidem. Confer Col. I. 23. I. Cor. III. 10. 11.*

XXV. Neque inter Pontificios defunt, quos ut huic nostræ sententia suum adjicerent calculum, veritatis vis coegerit. Nam *Pontificio-  
Franciscus Suarez de Trip. Virt. Theol. Disp. IX. sct. I. n. 3. de for-  
rum confen-  
ma differens, quā omnes Ecclesia partes in unam spiritualem rempu-  
sus.  
blicam conjungantur, aperte scribit, multisq; probat, fidem esse illam  
formam, & seq. n. 5. proponit hancce, quam vocat, generalem regu-  
lam: Omnes, qui fidem habent, Ecclesia membra esse; omnes vero, qui  
illā carent, extra Ecclesiam constitui. *Tannerus Tom. III. Theol.  
Schol. Disp. I. q. III. dub. II. n. 57. ad hoc, ut quis simpliciter in Ecclesia,  
esse dicatur, primò requirit veram fidem, eamique n. 52. dicit esse  
fundamentum adfici, spiritualis Ecclesia ex I. Cor. III. 11. Gregorius  
de Valentia Tom. III. q. I. punct. VII. §. 19. scribit, Ecclesiam esse  
congregationem vere fidelium. In eandem sententiam citantur Joha-  
nes de Turrecrem. lib. I. de Eccl. c. VI. & lib. IV. part. II. c. XX.  
Catechism. Roman. & Catechism. Canisio.**

XXVI. Non tamen hic dissimilandum est, quod qui ex Pon-tificiis fidem dicunt esse membrorum Ecclesie formam, fidei voce in latiori significatu utantur, prout ejus ambitu etiam *nudus credendorum assensus* comprehenditur. Hinc *Suarez d.l.n. 10.* inter alia dicit de peccatoribus, qui aliquo credendorum assensu possent, quod *quamvis gratia & charitate careant, dicendi tamen sint simpliciter membra Ecclesia, propter quod fides, quam dixerat esse propriam membrorum Ecclesia formam, in iis maneat, in quo ab Augustanæ Confessionis & nostra sententia superius declarata discedant.*

XXVII. Sed errant, quicunq; ita sentiunt: quorum opinio etiam *Opinio Suar-* facilè refellitur. Nam Ecclesia, fatentibus ipsissimeti adversariis *dd. ll.* *refutatur.* est corpus Christi mysticum, cuius membra à capite Christo vitam & motum spiritualem participant. Unde qui vitam motumque spiritualem in se non habent, illi nec membra corporis Christi sunt. Sed peccatores, qui sola fide historica, in credendorum

nudo ascensu posita possent, non habent in se vitam motumque spiritualem. Ergo non sunt Ecclesia membra.

XXIX. Major propositio negari non potest ab adversa parte, utpote quæ, sicut dictum, concedit, Ecclesiam esse Christi corpus mysticum, idque spiritualiter vivum, cuius membra à capite Christo habeant vitam motumque, nec ejus vera membra illos esse, qui omni carent vita motuque spirituali. Minor autem propositio confirmatur inter alia ex Jacobi I. 17. & 19. ubi fides, quæ non habet opera, dicitur mortua per se. Sed fides in nudo credendorum ascensu posita non habet opera: cum, juxta ipsosmet Pontificios, etiam in hypocritas & manifestè impios cadat. Ergo fides, in nudo credendorum ascensu posita, est mortua per se. Sed fides per se mortua non potest homini vitam spiritualem & sic ipsum esse membra in corpore Christi largiri.

XXIX. *Suaritz d. l. n. 12. regerit, peccatores, quoniam carent charitatis vitâ, quæ est propria & perfecta vita Ecclesie, dici quidem mortua membra; esse tamen membra, propterea quod non careant omni motu vita spiritualis, eum reineant fidem, per quam Christo aliquiliter conjugantur.* Itactiam Gregorius de Val. d. l. §. 15. Tannenius d. l. n. 63. & alii.

XXX. Resp. I. Si peccatores sunt mortua membra, absolute & simpliciter non sunt membra. De ratione enim membra in Christi corpore spirituali est, ut vitam spiritualem in se habeat. Sicut ergo v. g. in corpore humano oculus mortuus non est occlus, nisi equivocè: *Omnia enim, quæ possunt facere suum opus, vere sunt, ut oculus, si vider: quod autem non potest, equivocè, ut mortuus aut lapidatus,* inquit Aristot. IV. Meteor. c. ult. ita hypocritæ, ut ut Ecclesia Christi sint admixti, tamen quia spiritualiter mortui sunt, ejus membra non sunt, nisi equivocè.

II. Quod dicunt, *peccatores non carere omni motu vita spiritualis*, falsum est. Nam motus vitæ spiritualis sunt à Spiritu Christi, qui non est in iis, *qui in carne sunt*, & quisquis non omni caret motu vita spiritualis, sed à Christo capite vitam motumque habet, illum oportet *Spiritum Christi* habere, adeò ut Christi non sit, neque vitam motumq; ab ipso ut à capite habeat, qui ejus spiritum non habet, docente Paulo Rom. VIII. 9. Hinc ita colligo:

Qui



Qui spiritum Christi non habet, is omni carent motu vita spiritualis. Sed magni peccatores Spiritum Christi non habent: quia in carne sunt, & secundum carnem vivunt. Ergo magni peccatores carent omni motu vita spiritualis.

XXXI. Neque est, quod dicas cum Greg. de Val. d. I. ipsum credendorum assensum esse aliquam vitam spiritualem. Nam assensus credendorum, qui est absque fiducia & charitate, cadit etiam in illos, qui spirituali gustu Christi doctrinam non degustant, ut loquitur Tannerus d. I. quin & in ipsis diabolos, Jac. II. 19. De hac autem fide, quae est absque omni spirituali gustu doctrinae Christi, & quae etiam in diabolos cadit, tam certum est, quod sit absque omni motu vita spiritualis, quam certum est, diabolos omni carere motu vita spiritualis. Cujus rei ratio est in promtu. Nam motus spirituales, querum principium & causa fides est, dependent ex doctrina Christi, non qualitercumque percepta, sed spirituali gustu seu ita percepta, ut ejus vim & efficaciam interius homo sentiat, illiusque fructus salutares spiritualiter degusteret. Quia autem doctrinae Christi auditu percepta & quoctunque assensu credita vim & efficaciam spinis voluptatum aut curarum huius seculi planè suffocant & extinguunt, ut nihil ejus in se sentiant, nec quicquam de salutaribus ejus fructibus spiritualiter degustent, illi carent utique omni motu vita spiritualis, nec in ratione vita spiritualis meliori sunt conditione, quam alii improbi, qui veritatem in iniustitia derident, Rom. I. 18. qui oppleti omni iniustitia, malitia, scortatione, improbitate, avaritia, pleniori inuidia, cæde, contentione, dolo, malignitate, susurrone, obloquio, DEL osores, contumeliosi, superbi, gloriosi, inventores malorum, parentibus immorigeri, despiciunt, fastidiosi, charitatis expertes, implacabiles, immisericordes, qui DEI jure agniti, (eos, qui talia faciunt, dignos esse morte) non solum ea faciunt, sed etiam facientibus applaudunt, ibid. v. 18. 29. seqq.

XXXII. Sed de formalí, quo membra Ecclesiæ in suo esse constituantur, haecce sufficient. Ex quibus & illud facile intellegitur, quod superius diximus, præter verè credentes & sanctos nulla dari vera Ecclesiæ membra. Si enim fides in Christum eaq; vera & viva Ecclesiæ membris dat esse suum, ut haec tenus fuit.

B. 2

osten-

Non sancti  
non sunt  
membris.



ostensum, & cum eadem semper conjuncta est sanctitas interna,  
qualis in renatos hac in mortalitate cadit, sequitur ultrò, Eccle-  
siæ membra non esse, quotquot fide & sanctitate illa destruantur.  
Sicut enim positâ formâ oppidò ponitur formatum, ita cùdem  
sublatâ formatum tolli necesse est, ut proinde nihil causæ sit, cur  
novis id argumentis adstructum camus.

*l. argum.*

XXXIII. Ex abundante tamen alia quædam adjiciemus,  
quorum primum nobis suppeditat *Apologia Aug. Conf. a. VII.*  
p. 147. hisce verbis: *Ecclesia est regnum Christi, distinctum contra*  
*regnum diaboli.* Certum est autem, impios in potestate diaboli &  
membra regni diaboli esse, sicut docet *Paulus Eph. 2.* cum ait:  
*Diabolum efficacem esse incredulam.* Et *Christus inquit ad Phari-*  
*seos, quibus certè erat ex externa societas cum Ecclesia, id est, cum*  
*sanctis in populo legis.* Praerant enim, sacrificabant, & docebant:  
*Vos ex patre diabolo estis.* Argumentum in forma erit tale: Qui-  
unque sunt membra Ecclesiæ, illi non sunt membra regni diaboli.  
Sed non sancti sive manifestè impii, sive hypocrita sint, sunt  
membra regni diaboli. Ergo non sancti, sive sint manifestè im-  
pii, sive hypocrita, non sunt membra Ecclesiæ. Minor propositio  
probatur ex *Eph. II. 2. Job. VIII. 44.*

*Bellarmin.*  
*exceptio.*

XXXIV. Ad maiorem verò excipit *Bellarminus d. l. c. IX. cfr.*  
*Christi regnum sit distinctum à regno diaboli, posse tamen eosdem*  
*homines ad utrumq[ue] regnum pertinere: ad regnum Christi quidem,*  
*quantum ad fidei professionem; ad regnum diaboli autem quantum ad*  
*morum perversitatem.* Sed respōdetur, *regnum Christi consistere non*  
*in nuda externa professione fidei, sed in interiori justitia, pace, &*  
*gaudio in Spiritu S. Rom. XIV. 17.* Unde qui intus in corde delititius  
tutus justitia (fidei) pace & gaudio in Spiritu sancto, si ut ut exterius  
doctrinam Christi profiteatur, regni Christi membrum esse  
nequit, utpote qui nec regitur à Christo ejusque Sp̄itu, nec ab  
ipso agnoscitur pro suo *Matth. VII. 23.* Pertinet igitur absolute  
ac simpliciter ad regnum Satanæ, estq[ue] illius membrum, à quo etiam  
regitur, *Eph. II. 2.* Breviter: membra regni Satanæ simpliciter  
sunt incredulitatis filii seu increduli: sicut contrà regni Christi  
membra simpliciter vere credentes sunt. Sicut autem repugnat,  
aliquem esse filium incredulitatis, & simul vere credentem: ita-  
repug-



repugnat, aliquem simul esse membrum in regno Christi & in regno diaboli.

XXXV. Alterum argumentum ex verbis Pauli Rom. VIII. II. argum.

g. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus; hunc extrui-  
mus in modum: Quicunque non habent spiritum Christi, illi  
non sunt Christi, scu, quod eodem redit, non sunt membra  
Christi. Sed omnes non sancti sunt tales, qui spiritum Christi non  
habent. Ergo nulli non sancti sunt Christi, seu membra  
Christi. Minor extra omnem controversiam posita est, &, ne-  
longè abeam, facilè probatur ex citato Rom. VIII. 8. 9. 13. seqq. ubi  
docetur, non sanctos, qui in carne sunt, & secundum carnem vi-  
vunt, neg, placere DEO, neg, Spiritu Christi regi &c. Majorem verò  
in terminis docet Paulus d. l. v. 9. Statigitur conclusio immota,  
qua erat: Non sanctos non esse membra Christi. Sed si non sunt  
membra Christi, nec Ecclesia membra esse possunt: cum Ecclesia  
nihil sit aliud, quam Christi corpus Eph. I. 22. c. V. 23. Col.  
I. 18. & qui hujus membrum non est, ei à quæ repugnat illius  
membrum esse, atque idem simul esse & non esse repugnat.

XXXVI. Tertium ex I. Cor. V. 11. desumptum ita propo- III. argum.

nimus: Cum quibus communionem habere Ecclesiæ membra  
prohibentur, illi non sunt vera Ecclesiæ membra. Sed cum non  
sanctis, exterius fidem Christianam profitentibus, de quibus con-  
stat, quod non sint sancti, Ecclesiæ membra communionem  
habere prohibentur. Ergo non sancti, exterius fidem Christianam  
profitentes, de quibus constat, quod non sint sancti, vera  
Ecclesiæ membra non sunt.

XXXVII. Majorem propositionem vel sola comparatio  
Ecclesiæ cum corpore humano I. Cor. XII. & Rom. XII. à Paulo in-  
stituta evincit. Sicut enim in corpore humano membra à DEO con-  
stituta sunt, ut alterum alterius atjumento sit ad ædificationem totius  
corporis, eaque in se invicem sint συμπαθεία, ut patiente uno,  
reliqua etiam patiantur, & glorificato uno, gaudeant & cetera,  
I. Cor. XII. 21. seq. & v. 25. 26. ita in Christi corpore tantum  
abest, ut membra prohibeat Paulus, ne inter se communionem  
habeant, ut illa potius jubeat eadem in se invicem esse συμ-  
βολα, charitatisque vinculo mutuo ad fraternalm communionem  
arctissimè



arctissimè inter se devincta dicat *ibid. v. 12. seq. & v. 27.* Confer.  
*Rom. XII. 5. seqq. v. 10. 16. &c. Eph. IV. 2. 3. 32. I. Joh. I. 3. c. II.*  
*9. 16. c. III. 10. 11. 14. 23. c. IV. 7. 11. 21. & alibi. Minorem*,  
autem confirmant hæc Paulina: *Si quis, cum frater appelletur,*  
*fuerit scortator, aut avarus, aut idololatra, aut conviviator, aut*  
*ebriosus, aut rapax; cum ejusmodi ne cibum quidem capiat.*  
*I. Cor. V. 11.* Quæ citra dubium loquuntur de non-sanctis, fidem  
Christianam ore profentibus, sequunt pro fratribus ac membris  
Ecclesiæ venditantibus, idque ianuunt verba: *εάν οὐ καθόπει*  
*ένουσθεντο, si quis frater dictus.* Illorum autem omne consortium  
vitare jubentur Ecclesiæ membra, adeò ut ne edere cum iis debent:  
cujus interdicti causa certè sunt enumerata & id genus alia opera  
carnis, ex quibus verâ fide & sanctitate interius destitui atque sic  
re ipsâ nihil minus, quam fratres seu Ecclesiæ membra esse  
deprehenduntur, quamvis id nominis per externam fidei profes-  
sionem sibi falsò vendicent. Quod si verò hi Ecclesiæ membra  
non sunt, idque ob impietatem ex operibus cognitam, sequitur,  
quod nec reliqui non-santi, quos hypocritas dicimus, ejus mem-  
bra esse possint. Ratio consequentia est: quia hos inter & illos,  
quoad præsens, nihil intercedit discriminis, nisi quod hi, quia im-  
pietatem suam per hypocrisim occultant, foris non apparent  
esse, quod sunt, sed ob ementitam sanctitatis speciem videntur  
santi, cum non sunt: illi verò, quia suam impietatem per opera  
carnis palam patrata manifestam faciunt, ex operibus, quod sunt,  
absque fuso apparent.

XXXIX. Manet ergo certum, quod non-santi, sive hypo-  
crita sunt, sive manifestè impii, Ecclesiæ membra non sunt, & licet  
iis admixti societatem cum ipsis habeant extenorum signorum, ut lo-  
quitur *Apol. Aug. Conf. d. l. 8. hypocritæ cum primis, Ecclesiæ mem-  
bra dici vulgo confueverint, propterea quod formam pietatis ha-  
beant, ut loquitur *Paulus II. Tim. III. 5.* & proinde nobis sancti  
videantur; re ipsa tamch' nihil minus quam ejus membra sunt, sed  
equivocè sic dicuntur, quandoquidem omni, ut ostensum, carent  
vitâ spirituali, ipsoque opere pietatis *vix abnegant*, *II. Tim. III. 5.*  
sunt extra Christum, in regno & potestate diaboli constituti, atq;  
adeò solum nomen, non ipsam rem significatam cum Ecclesiæ  
membr.*



membris communem habent. Unde non malè scribit Apol. Aug.  
Conf. d. L. malos nomine tantum esse in Ecclesia, non re, seu nomine  
tenus esse Ecclesiae membra, non reipsa.

p. 346.

XXXIX. Quod ipsum dissideri non potuit *Cardinalis Stanislavus Hosius Tom. I. lib. V. contra Brentium* fol. 590. Cùm enim dixisset. Certum esse, quod vivum Ecclesiae membrum non sit, qui non vere credit in Christum; subiungit statim: Quoniam verò quis credat, quis non credat, solum ille seit, qui scrutatur corda & renes, nihil impedit, quod minus eum, in quo publicare & legitimam professionem fidei & vocationem agnoscamus, pro vero Ecclesiae membro habeamus, ET IAMSI CORAM DEO VERUM MEMBRUM NON SIT. Quibus vel invitus in nostram sententiam concedit. Nam si coram DEO non est verum Ecclesiae membrum, qui non vere credit in Christum, sequitur, quod ipsum esse & quidditatem membra Ecclesiae non habeat; alias enim coram DEO, cui nihil non apparet, quod est, verum Ecclesiae membrum esset. Quod si verò ipsum esse & quidditatem membra Ecclesiae non habet, qui non vere credit in Christum, sequitur ulterius, quod reipsa non sit ejus membrum. Unde si à nobis pro vero Ecclesiae membro habeatur, necesse est, per intellectus nostri, non cognoscens rem, qualis in se est, erroncum iudicium id fieri. Sicut autem alias rerum esse & veritas non dependet à nostris conceptibus, nec propterea, quod v. g. nos te verè putamus album esse, tu albus es, sed propterea quod tu albus es, nos qui dicimus, verū dicimus, ut IX. Metaph. c. X. Aristoteles scribit: ita in praesentia nemo propterea est verum Ecclesiae membrum, quod à nobis pro ejus membro habetur, sed quia Ecclesiae membrum est, quem pro membro ejus habemus, ideo nos verum dicimus, qui cum Ecclesiae membrum dicimus, aut si Ecclesiae membrum non sit, sed per errorem intellectus nostri pro ejus membro habeatur, ex nostro iudicio errore non magis esse veri membra accipiet, quam v. g. orichalcum, quod ab imperito aliquo pro auro habetur, esse veri auri accipit.

XL. Cæterum hisce, qua de Ecclesiae membris hæc tenus fusæ differuimus, videri alicui possit obstare, quod Paulus, cùm in I. Cor. XII multis ostendisset, Ecclesiam esse corpus Christi, cuius ad similitudinem corporis humani plura & secundum potentiam ope-

dubitatio.

C

randi

*arg.*

randi diversa sint membra; v. 27. subjicit: *Vos autem estis corpus Christi & membra ex parte.* Et alios quidem posuit Deus in Ecclesia primum quidem Apostolos, deinde prophetas, tertio doctores, deinde potestates, deinde dona sanationum, subsidia, gubernationes, genera linguarum. Num omnes Apostoli? num omnes Prophetae? num omnes doctores? &c. Confer Eph. IV. 11. Hinc ita quis argumentetur: *Quos Christus Ecclesia caput in suo corpore seu Ecclesia constituit, illi sunt vera Ecclesia membra.* Ratio est: quia in Ecclesia constituti, quoad rem, nihil aliud est, quam eius membrum constitui. Atque *Apostolos, Prophetas, Pastores, Evangelistas &c.* Christus Ecclesia caput in suo corpore seu Ecclesia constituit, docente Paulo dd. II. Ergo *Apostoli, Pastores, Doctores, Evangelisti &c.* sunt vera Ecclesia membra. Porro: Omnes *Apostoli, Pastores, Doctores, &c.* sunt vera Ecclesia membra. Sed quidam tales sunt hypocrite, & carent fide verâ, ut inter alia constat exemplo *Juda* proditoris, & eorum, qui dicent aliquando Christo: *Domine, Domine, nonne per nomen tuum prophetavimus, & per nomen tuum demonia ejecimus, & per nomen tuum multas virtutes praestitimus? quibus tamen confitebitur Christus: Nunquam novi vos: discedite a me, qui operamini iniquitatem,* Mat. VI. 22. seq. Ergo quidam hypocrite & mali sunt vera Ecclesia membra.

*respons. ad  
dub. prop.*

*Rx.*

XLI. Ad discutiendam hanc dubitationem multum referuntur prænosse, quod quis dupliciter dici possit à Christo in Ecclesia constitutas: Uno quidem modo ut pars integrans seu membrum corporis; altero autem ut organum seu instrumentum, ad certam functionem obeundam ordinatum. Quam distinctionem inter Pontificios quoque agnoscunt & inculcant Bellarminus d. l. c. IX. & Svarez d. l. n. 22. Hic quidem, cùm scribit, in membro Ecclesiae, quod aliquam etiam potestatem haber, considerari posse primo ipsum esse membra & formam, quæ conjugintur cum ceteris membris; secundo potestatem & actionem ejus. Ille vero similem in modum docens, membra posse considerari duobus modis: Uno modo, ut sunt res quadam secundum sē, sive secundum essentiam ac substantiam suam: Alio modo, & sunt instrumenta operativa.

XII. Priori modo qui constituantur in Ecclesia, nempe ut

*partes*



Partes integrantes seu membra Ecclesiae, illi per unam eandemque for-  
man, nempe per fidem in ea constituantur omnes, & quoad esse  
membri omnium una eademque est ratio. Quod non obscurè si-  
gnificat Paulus I. Cor. XII. quando post enarrata v. 4. seqq. Eccle-  
siae membrorum diversa dona, ex similitudine corporis humani  
ostentur, Ecclesiam, nihil quicquam obstante illa donorum varie-  
tate, esse unum corpus, unitatisque rationem, quâ omnia mem-  
bra jungantur in unum corpus, declaraturus, in hæc desinit verba:  
*Quemadmodum corpus unum est, membra autem multa, omnia ve-  
rò membra corporis unus multa cum sint, unus sunt corpus: sic &  
Christus, h. e. Christi corpus mysticum. Etenim per unum spiritum  
eos omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Iudei, sive Graci, sive  
servi, sive liberi: & omnes unum spiritum hauiimus. Idem Eph.  
IV. postquam v. 5. jussicerat fideles omni incumbere studio in unita-  
rem spiritus servandam per vinculum pacis v. 4. admonitionis ratio-  
nem additurn, eundem in sensum: *Unum, inquit, Corpus & unus  
Spiritus, quemadmodum & vocati estis in una spe vocationis vestrae.  
Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium,  
qui est super omnia, & per omnia, & in omnibus vobis. Quæ omnia  
eò tendunt, Ecclesiae membra vera qui sunt, per hoc ejus membra  
esse, quod omnes in unum corpus baptizati Christum induerunt  
per fidem, & omnes unum spiritum haueant, qui eos regit & ducit  
&c. nec, quoad præsens, quicquam inter eos intercedere discriminis,  
ut ut alias diversa sint conditione, alii ex Iudeis, alii ex Græcis o-  
riundi; alii servi, alii liberi, juxta illud Gal. III. 28. Non est Iudeus,  
neque Gracus, non est servus, neque liber, non est masculus ac femi-  
na: omnes enim vos unus estis in Christo Jesu, intellige* 2 Cor. III. 18.*

*Et Christus in sancto, per fidem in Christum Jesum, ut præ. v. 26. fuerat di-  
ctum. Et huc spectant, quæ hactenus multis disputavimus de formâ,  
quâ Ecclesiae membra in suo esse constituantur. Altero autem modo  
qui in Ecclesiâ constituuntur, nempe ut organa operativa, illi per  
dona ministrantia primù idonei redduntur, quiscq; ad suam functio-  
nem ritè obeundam, quæ Spiritus Sanctus olim supernaturaliter &  
immediatè conferebat & distribuebat peculiariter unicuique, sic  
ut sibi fuerat visum, & ad id, quod expediebat, huic quidem sermo-  
nem sapientia, alijs verò sermonem scientia, alijs verò dona sanationum,*

ali efficacias potentiarum, ali discretiones spirituum, ali genera linguarum, ali interpretationem linguarum &c. I. Cor. XII. 7. seqq. Rom. XII. 6. Eph. IV. 7. I. Petr. IV. 10. progesu temporis autem eadem, quæ quidem Ecclesiæ omni tempore necessaria sunt, usu & exercitatione, Spiritus S. gratiâ assistente, parari cœperunt. Et postquam hujusmodi donis instructi atque ad ministerium idonei facti sunt, constituantur etiam quisque in suâ statione per vocationem, quâ unicuique suum demandatur peculiare munus, Rom. X. 15. Job. XX. 21. Act. II. 24. seqq. c. VI. 3. c. IX. 15. c. XIII. 23. c. XX. 28.

Reff. ad pro-  
fill. n. XL.

XLIII. Hisce ita prælibatis in promptu est responsio ad objec-  
tionem, superius propositam: nempe major prosyllogismi  
propositio hæc: *Quos Christus Ecclesia caput in suo corpore constituit,  
illi sunt vera Ecclesia membra*; non est vera, nisi restringatur ad  
eos, quos Christus constituit in suo corpore *quoad ipsum esse  
membrorum*. Quâ limitatione adhibita falsa evadet subsumptio.  
Nam quos Christus in Ecclesiâ constituit *Apostolos, Pastores, do-  
ctores, Evangelistas &c.* per hoc, quod tales constituit, non con-  
stituit eos *in esse membrorum*; ita enim, ut sæpius dictum, per fidem  
sunt constituti, quando omnes in unum corpus baptizati sunt, &  
omnes unum spiritum habuerunt; sed tantum in esse organorum  
operativorum. Quos autem Christus præcisè in esse organorum  
operativorum constituit, eos non necesse est esse membra vera  
corporis Christi, seu Ecclesiæ, neque hoc sensu verum est, quod  
in probatione majoris dicebatur, in Ecclesiâ constitui, idem esse, quod  
eius membrum fieri. Nam quoniam Ecclesia hac in mortalitate  
nullibi non cum hypocritis permixta est, & hi fidei doctrinam  
professando vitaque sanctitatem præ se ferendo verè credentium  
& sanctorum arque sic membrorum Ecclesiæ habitum mentiun-  
tur, ut à veris membris accuratè satis discerni non possint, haud  
raro contingit, ut id genus homines in Ecclesiâ constituantur *Epi-  
scopi, Pastores, doctores &c.* qui tamen per hoc nequam vero ejus  
membra sunt. Sicut enim, qui jam antè per veram & vivam fidem  
Christo capiti insiti erant, acceptâ vocatione ad Episcopatum vel  
alia munia Ecclesiastica non deinde sunt Ecclesiæ membra, sed  
eius membra jam existentes sunt *ministri seu organa operativa*,  
ad certas actiones obeundas constituta; ita nec hypocritæ, absq;  
sincera



sincerā fide & sanctitate in Ecclesiā versantes, per vocationem ad ministerium Ecclesiasticum sunt Ecclesiā membra, sed tantū organa operativa. Vocatio enim ad ministerium non confert fidem, quā Christo ut membrum conjugatur vocatus, sed tantū potestatem operandi. Atque hinc est, quod Augustana Confessio tam sollicitè distinguat inter Ecclesiā vera membra, & inter instrumenta operativa, per quā Spiritus S. in Ecclesiā efficax est. Membra Ecclesiā vera, præter verē credentes & sanctos, agnoscent ea art. VII. & VIII. nulla. Organa autem, quā administrent Sacra menta & Verbum prædicent, fatetur posse etiam hypocritas & malos esse, qui Ecclesiā membra vera non sunt, sed iis administrentur ut palea tritico. Verba ejus habent art. VIII. ita: Quanquam Ecclesia propriè sit congregatio sanctorum & verē credentium, tamen cùm in hac vita multi hypocrita & mali admixti sint, licet uti sacramentis, que per malos administrantur. idque illustratur ibidem exemplo scribarum & Phariseorum, qui hypocritæ cùm essent, similes sepulcris dealbaris, foris quidem aspectu pulchris, intus verò plenis mortuorum ossibus omniq[ue] spurciā, Matth. XXIII. 27. non erant Christi membra, sed serpentes & progenies viperarum, filiiq[ue] gehenna v. 33. Idem tamen, quatenus sēdebant in cathedrā Mosis, docentes Verbum DEI, erant organa operativa, per quā Spiritus S. ad auditorum salutem efficax erat: quos propterē etiam Christus audire jubebat v. 3.

XLIV. Causa hujus rei ibid. adfertur hæc: quia Sacra menta & Verbum propter ordinationem & mandatum Christi sunt efficacia, etiamq[ue] per malos exhibeantur. Cui adstipulatur Bellarminius, qui d. l. ultrò agnoscit, quod quoad prælens corporis Christi mystici non eadem, quæ corporis naturalis, ratio sit, quandoquidem in corpore naturali non possit membrum mortuum esse verum instrumentum operationis, in corpore mystico autem possit. In corpore enim naturali, utor verbis Bellarmini, opera pendent ex bonitate instrumenti, quia anima non potest bene operari, nisi per bona instrumenta, nec opera exercere, nisi per instrumenta viva: at in corpore mystico opera non pendent ex bonitate, aut vita (spirituali) instrumenti. Anima enim hujus corporis, idest, Spiritus Sanctus aquæ bene operatur per instrumenta bona & mala, viva

& mortua. Scit etiam Thomas III. Sent. Dist. XIII. q. II. a. II.  
ad secundum: Sicut operationes, que sunt ad alterum, possum aliquo modo fieri per membra arida, ut percutere vel aliquid hujusmodi, non tamen operationes, que sunt anima in membris: ita nec mala recipiunt spiritualis vita operationem a Spiritu Sancto: sed tamen Spiritus Sanctus per eos operatur spiritualiter vitam in aliis, secundum quod alii Sacra menta ministrant, vel alios docent. Confer Francisc. Suarez, d. I. n. 22, ubi scribit, actionem, que est proprie Ecclesia, posse rite & debite fieri etiam ab eo, qui est extra Ecclesiam. Idem sensisse dicitur Turrecr. lib. I. c. XLVII. cum quibus consentit etiam Tannerus, qui d. I. n. 50. cum ad questionem de occultis hereticis, an possint in Ecclesiâ aliis praesule & capite locura habere, quia tamen simpliciter non sunt membra Ecclesiae respondet: in allegoriciis locutionibus non esse absurdum, alicui convenire non nomen speciei, cui tamen ratio & nomen generis tribui non possit. Ita Chrestum per metaphoram vocari leonem, qui tamen idcirco brutum aut bestia dici nullo modo posse. Eodem igitur modo, inquit, potest quis capitum locum in Ecclesiâ habere, ob influxum in alios per ministerium Verbi & Sacramentorum, regendis autoritatem; quia tamen ob carentiam omnis vita spiritualis simpliciter non fit membrum. Ex quibus omnibus sane perquam evidens est, quod juxta ipsos met Pontificios in Ecclesia quis possit constitui ut organum operativum, qui tamen Ecclesia membrum non sit, neque per hoc ejus verum membrum fiat.

*Reff. ad princ. arg.* XLV. Unde in argumento principali superius n. XL. proposito rursus neganda est propositione major, quæ haec erat: Omnes Apostoli, Prophetæ, doctores, Pastores, vel, ut verbo dicam, Omnes Ecclesia ministri sunt vera Ecclesia membrum. Ex hactenùs dictis enim constat liquefactum, quod in numero eorum, quos Christus in Ecclesia constituit Apostolos aliosque, qui faciunt fungantur officiis, diversorum ordinum ministros dentur non nulli, qui omni vita motuque spirituali careant, & simpliciter Ecclesia membrum non sint.

*causa prolixitatis longius.* XLVI. Et tantum de Ecclesiâ membris: quæ in re forsitan videbimus justo prolixiores fuisse, cum controversia tota modum loquendi potius, quam rem ipsam videatur concernere. Pontificii enim



enim agnoscunt nobiscum, non sanctos non esse viva Ecclesiae  
membra; contrà autem nos juxta cum illis fatemur, eos esse Ecclesiae  
admixtos, ejusq; quoad externa fidei professionem ac sacramentorum  
utrum socios. Quibus utring; admissis videtur utiq; quæstio esse de no-  
mine potius, quam de re, cum ulterius quæritur; utrum iidem dicendi  
sint vera Ecclesiae membra, nec ne? Evidem fateor, si de re con-  
fert, de verbis non esse magnoper contendendum, et si ad veri-  
tatem se numerò multum interest, quibus quodque nominibus  
appelletur. Sed quod ad præsens attinet, Pontificii de non sanctis;  
an Ecclesiae membra sint? eum in finem disceptant, & affirma-  
tivam tuentur, ut obtento, vera membra esse, porrò evincere,  
possint, Ecclesiam essentialiter esse coetum visibilem & conspicuum,  
ex verè credentibus & hypocritis aggregatum, & cum eadem  
debeat esse columna & stabilimentum veritatis, I. Tim. III. 15. cui  
porta inferiorum non sint prevalitura Matth. XVI. 18. oportere  
semper aliquent talern visibilem coetum in terris dari, qui sit co-  
lumna veritatis, & veritatem publicè doceat absque admixtis er-  
roribus; & quæ id genus alia sunt, quæ à nobis negantur, ab  
ipsis vero ex hoc ruinoso adstruuntur fundamento: ut ita ad hanc  
de Ecclesiae membris controversiam tandem summa rei & omnis  
ferè, quæ de Ecclesiâ inter nos & illos intercedit, contentio  
redeat. Si enim Ecclesiae membra vera nulla sunt, præter solos  
verè credentes & sanctos, & hi in hypocitarum & malorum  
cœtibus visibilibus sèpè latent te&ti; ut alibi ostendemus, sequitur  
ultrò, prædicta Ecclesiae encomia & privilegia per se & primò  
non spectare ad visibiles hominum, Christianam fidem profiten-  
tium, & sacramentis utentium cœtus, sed ad verè credentium &  
sanctorum in iis contentam congregationem, ut si vel maximè  
omnes cœtus visibiles in doctrinâ publica errant, & aliquibus in-  
partibus à verâ fide deficiant, nihilominus Ecclesia ex verè creden-  
tibus & sanctis aggregata, per orbem terrarum longè lateq; diffusa  
mansura sit columnâ veritatis, cui porta inferiorum non sint prevali-  
tura &c. Qua de re suo loco, DEO volente, sumus acturi. In præ-  
sentia hæc monuisse sufficiat.

XLVII. Nos à membris Ecclesiae nunc progredimur ad ejus *Caput Eccl.*  
*Caput*, quodnam sit, & quicun influxum præbeat in membra,  
*VIIII.* *XLIIX.*



XLIIX. *Caput Ecclesie*, analogicè sic dicitum Christus est, ut docet Paulus Eph. I. 22. c. IV. 15. c. V. 23. Col. I. 18. c. II. 19. & dicitur ita ob convenientiam, quæ ipsi & capiti in corpore humano intercedit.

*Capitum prærogativa.*

XLIX. Habet autem caput in corpore naturali, juxta Thomam d. l. q. II. a. I. tres potissimum prærogativas præ aliis membris. *Unam*, quod in ipso nobilissimæ vires, cum primis imaginatio & memoria suam sedem habent, omnesque sensus concurrunt, cum reliqua membra solo polleant tactu. *Alioram*, quod ex ejus influxu omnia membra dependent, sensumque & motum habent. *Tertiam*, quod ab eodem cætera membra ob vim imaginatricem & sensus, ibi sese exerentes, in operationibus suis diriguntur. Idem vero cum omnibus membris habet commune, quod in natura ipsiis conforme est.

*Applicatio ad Christum.*

L. In hisce omnibus Christus, intuitu sui corporis mystici consideratus, similis est capiti. Primum enim in ipso habitat tota plenitudo Deitatis οὐρανῶν, Col. II. 9. ipse est *Deus super omnia*, benedictus in secula, Rom. IX. 5. & quicquid perfectionis nobiliorum ve in Ecclesiâ virtutum datur ad totius corporis adificationem, illud omne primò & independenter est in ipso, exaltato ad dextram DEI super omnem principatum, ac potestatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, verum etiam in futuro Eph. I. 21. Deinde ab eodem omnia membra habent vitam & motum spiritualem. Ex ipso enim totum corpus per commissuras & compagines subministratum & compactum augescit augmento DEI Col. II. 19. puta in unitatem fidei & agnitionis filii DEI; & membra singula prouersus adolefcunt in caritate, in eum, qui est caput, nempe Christus, in quo totum corpus congruerit coagmentatum & compactum per omnes suppeditatas commissuras ex vi intus agente pro mensura uniuscujusque membra, incrementum capit corpori conveniens ad sui ipsius extirctionem per charitatem, ut Ephes. IV. 13. 15. 16. loquitur Apostolus. Tertiò idem diffundit Spiritum suum in singulorum corda, qui eos in actionibus suis ducat & regat, Psal. CXLIII. 11. Rom. VIII. 14. seqq. & 26. Denique Christus est etiam verus homo, & sic, præterquam quod omnes capitum prærogativæ in ipsum cadunt, etiam cum



Cum membris suis id habet commune, quod ipsis in natura conformatum est; quod respicit Paulus, cum nos dicit esse membra corporis ejusdem, ex carne ejus & ex ossibus ejus, Eph. V. 30.

L.I. Dicitur ergo Christus Ecclesia caput; quia quod in corpore humano caput est, & per suum in membra influxum praefstat, id in mystico Ecclesiae corpore Christus est, & praefstat suo influxu singulari in membra diffuso.

L.II. Porro influxum suum praebet Christus Ecclesiae caput in membra mediantibus Verbo & Sacramentis, per quam initio plantata; post autem longe lateque propagata, & in hunc diem conservata est Ecclesia, & quibus eadem conservabitur usque ad finem mundi, Matth. XXVIII. 19. 20. Marc. XVI. 16. 20. Et mediante Verbo quidem & Sacramento baptismi regenerat & vivificat Christus spiritu suo, quoscunque corpori suo inserit, sibiique ut membra unit, cum ~~adultos~~ tum ~~infantes~~: sed hos, quia per etatem Verbum audire nondum possunt, per solum baptismum, qui est lavacrum regenerationis & renovationis, Tit. III. 5. Eph. V. 26. Illos vero pariter per Verbum & baptismum, hoc tamen ordine, observato, ut per Verbum praedicatum & auditu perceptum fides in ipsis primum accendatur, Rom. X. 14. 17. accensa autem deinde baptismi sacramento tanquam medio visibili, ad hoc tamen sat efficaci confirmetur, augeatur & roboretur, Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI. 15. 16. atque sic regenerationis opus, praedicatione Verbi inchoatum I. Cor. IV. 15. I. Petr. I. 23. Jacob. I. 18. per baptismum in ipsis consummetur, Act. II. 38. 41. c. VIII. 36. 37. c. X. 47. 48. Deinde renatis datur Spiritus S. Gal. IV. 6. Eph. I. 13. qui in iis habitans tanquam in templis suis I. Cor. III. 16. c. VI. 19. II. Tim. I. 14. quod cepit bonum opus, in ipsis perficit usque ad diem Jesu Christi, Phil. I. 6. idque itidem per Verbum & Sacramenta praefstat.

L.III. Per Verbum quidem in ~~adultis~~; in quibus sicut fides non accendi, ita nec conservari potest absque Verbo, ut rem penitus consideranti faciliter patet 1. ex objectiva Verbi ad fidem habitudine. Fides enim pro objecto habet Verbum DEI, estque ex parte intellectus nihil aliud, quam assensus Verbi; ex parte voluntatis autem fiducia, in promissionibus verbi divini posita. Fieri autem

D

nequit,

De influxu  
capitis,

Habitu do Ver-  
bi duplex.



nequit; ut verbo DEI quis assentiatur sine Verbo DEI tanquam assensus objecto, aut confidat in promissionibus Verbi, & tamen destruatur promissionibus Verbi, in quibus confidat: estet enim aperta contradictio. Ergo nec fides potest in quopiam esse & conservari sine Verbo DEI tanquam suo objecto. 2. ex ejusdem ad fidem *habitudine consitit*. Fides enim non est nostrarum virium opus, sed a solo Spiritu S. in nobis efficitur. Ergo & in esse & conservari ab ipso solo dependet. A quo enim res efficitur seu dependet in fieri, ab illo dependet eadem in esse & conservari. Dependet autem a Spiritu S. fides in fieri, ut vidimus, mediante Verbo tanquam organo efficaci, quod inde dicitur *potentia Dei Rom. I. 16. I Cor. I. 18. II. 4.* quia in operando ita intimè conjunctum est cum Spiritu S. ut per ipsum se in nobis exercere *I. Thes. I. 5.* & vicissim Spiritus S. per illud in nobis operari dicatur *c. II. 13.* & simulac per fidem admittitur Verbum in hominis corde, dicitur etiam in illud immitti Spiritus S. & in eo habitare, *Gal. III. 2. 5. c. IV. 6. Eph. I. 13. seqq. c. V. 18. 19. II. Tim. I. 14.* Unde quemadmodum fides fertur in Verbum DEI, idque amplectitur tanquam objectum suum, ita vicissim per illud Spiritus S. excitat fidem, eamque infirmam & ex crucis atque temptationum astu languentem in nobis erigit, fover, fulcit, nutrit, atque ut paucis, quod res est, comprehendat, id agit, ut *indies renovetur nosker internus homo, II. Cor. IV. 16.*

Sacra: eff-  
cacia:

LIV. Per Sacra: autem perficit Spiritus S. quodcepit, bonum opus in infantibus quidem pro eorum conditione per *solum baptismum*, regenerationis gratiam semel collatam in ipsis conservando modo, tamen sibi soli cognito. In adultis autem per Sacramentum utrumque. Vi *baptismi* quidem, dum conscientia in terroribus constitutus erigit solatio desumpta ex baptismo, quo dum in mortem Christi baptizati sunt, *Rom. VI. 3.* omnia ipsius passione & morte parta beneficia ipsis sunt applicata & ob signata; alios vero adversus carnem lustantes sui admonet officii, ut quemadmodum per baptismum cum Christo sepulti sunt in mortem, ita suam etiam carnem crucifigant & mortificant eum suis concupiscentiis, & sepulto veteri homine quotidie surgant ad novam vitam, sicut Christus ex mortuis ad novam & celestem vitam surrexit *Rom. VI. 4. seqq.*



*¶q. Col. II. 12. 13. Quæ dum Spiritus S. gratiâ nobis in mente & cogitatione versantur, ipse simul nobis adest. & auxiliatur insirmatibus nostris Rom. IX. 26. facitque ut baptismus noster ex parte nostra per totam vitam sit τονεδησεως αγαγης επεινημα eius. L. Perr. III. 21. Per Eucharistia Sacramentum autem, cum sub pane benedicto Christi corpus pro nobis in mortem traditum manducamus, ejusque sanguinem, pro nobis effusum in remissionem peccatorum, de poculo benedicto bibimus, obsignat Spiritus S. in nobis salutari pignore corporis & sanguinis Christi promissiones degratuita remissione peccatorum propter Christum, nosque certos reddit, quod ex gratia per fidem nobis donentur, quæcumque sua passione & morte Christus nobis promeruit, quin & ad novam vitam ducendam salutari hoc nutrimento confortatur, ut posthac non peccato, sed Deo vivamus per Christum in nobis habitantem, Eph. III. 16. 17. Rom. VI. 14.*

LV. Ita igitur id etiam constat, quæ ratione Christus Ecclesia caput, suum in eam influxum præbeat. Ad cuius uberiorem declarationem forsitan abs refuerit hunc monuisse, quod Ecclesia considerari possit bifariam: I. ut Christi corpus, ex vere credentibus & sanctis iam & tunc aggregatum. II. ut mater fidelium, quotidie generandorum. Quia enim Ecclesia, ut infra docebitur, duratura est usque ad fidem mundi; & tamen quotidiè ejus aliqua membra per mortem deceidunt, vel etiam per apostasiam deficiunt, conservari illa aliter non potest, quam perpetuâ fidelium successione, quos quotidiè generari oportet. Generantur autem non extra sed intra Ecclesiam, quorum intuitu sese ea habet instar matris, & dicuntur etiam mater omnium nostrorum, Gal. IV. 26. juxta illud Iesiae LIV. 1. Latare steriles, que non paris, erumpere & clama, que non parturis: quoniam multi liberi deserter, magis quam ejus, que habent virum. Quibus, interprete Paulo d.l. Eccleiam N. T. Prophetam comparat matri, quæ initio quod à maxima Judaii populi parte esset deserta, videbatur sterilis, post autem per gentium frequentissimum ex omnibus orbis partibus accessum, liberis per Evangelium in Christo Iesu à se genitis multo facta sit auctior, quam olim fuerit Ecclesia Judaica, ut ejus semen gentes sit hereditatem accepturum, & civitates desolatas habitaturum, v. 3.

Ecclesia  
1. Christi cor-  
pus.  
2. mater fide-  
lium.



LVI. Ad Ecclesiam igitur priori respectu consideratam habet  
felse Christus ut *caput ad corpus suum*, in cuius membra singula  
per Spiritum S. in corda eorum immisum, medianis Verbo &  
& Sacramentis, suum præbet influxum, nutrit, movet, & regit  
ea, idque illum in modum, quem modò ad Scripturæ sacræ ductum  
delinca vimus.

LVII. Altero respectu autem cum consideratur Ecclesia, habet  
felse Christus ad illam instar mariti ad uxorem, *Ies. LIV. 5. Hos. II.  
16. 19. Job. III. 29. Eph. V. 24. seqq.* cuius influxu & Spiritu ope-  
rante ipsa velut mater fecunda subinde filios & filias spirituales  
intra se concipit, format & proignit ex Verbo tanquam *semine  
immortali I. Petr. I. 21. & baptismō* tanquam regenerationis la-  
vacio *Tit. III. 5. Job. III. 5.* genitosque primū ut *infantes in  
Christo lacte potu spirituali*; & deinde etiam *solido cibo*, Christo  
idem suum præbente influxum, alit & nutrit *I. Cor. III. 1. 20.  
I. Petr. II. 2. Ebr. V. 13. 14.* ut crescant in fide & agnitione filij  
DEI, & veritatem sciantes in charitate adolescent in illum per-  
onam, qui est caput Christus, *Eph. IV. 13. 15.*

*Ministerium.  
Verbi. & Sacr.* LVIII. Influxus ille, cum ad Verbum & Sacra menta sit adstribu-  
tus, ne quando deficeret, vel quod media defint, vel quod nulli  
sunt, qui ea in actum constituant, & Verbum doceant Sacra menta  
administrent, instituit Christus suos *temporales reges* oīnoōμες  
*μυστηρίων*, *I. Cor. IV. 1. Tit. I. 7.* qui noverint λόγον τῆς αἰνεῖας  
ἐργοποιῶν *II. Tim. II. 15.* & apti sint ad docendum *I. Tim. III. 2.*  
ad exhortandum per sanam doctrinam, & ad redargendum con-  
tradicentes, *Tit. I. 9.* eosque dedit alios quidem Apostolos, alios ve-  
rō Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores ac doctores ad instau-  
rationem sanctorum in opus administrationis, in edificationem cor-  
poris sui *Eph. IV. 11. 12. I. Cor. XII. 28.* Qui cum Verbum docent  
& Sacra menta administrant, ipse iis se ad futurum, Spiritusque  
sui influxum præbiturum certò promisit; *Ecce, inquiens, ego  
vobiscum sum omnibus diebus seculi. Matth. XXIX. 20.* Confer  
*Iesa. LIX. 21. Jer. XLIX. 18. Job. XIV. 16. 26.* & quod promisit,  
id jam oīm ab initio plantanda per orbem Ecclesiarū recipie pre-  
stitit. Apostoli enim ipsius Iesu egressi predicaverunt ubiq. Domino  
cooperante, *Marc. viii. 20.* Et electum ipsius organon Paulus fa-  
tetur:



serur, se & Apollo in condenda Corinthiorum Ecclesia, prater-  
sum ministerium, nihil contulisse quicquam; successum autem  
omnem debet Christo capiti, uni cum Patre & Spiritu S. DEO.  
*Quis igitur, inquit, est Paulus, quis Apollos, nisi ministri, per*  
*quos creditisti, & ut cuicq; Dominus dedit? Ego plantavi, Apollos*  
*rigavit, sed Deus dedit incrementum.* Itaque neque qui plantat  
est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum *Tunc*, I.  
*Cor. III. 5. seqq.* Eundem vero in modum Christus progressu  
temporis etiam operatus est in Ecclesia per ministerium Verbi  
& Sacramentorum, & posthac operabitur suis ovvgegois, singulis  
xv mētēgois nūs dōgēas suam conferentibus operam ad in-  
fiaurationem sanctorum in edificationem corporis sui, D.O N.E.C  
O M.N.E.S evadamus in unitatem fidei & agnitionis filii DEI, in  
virum adulitum, ad mensuram statuta pleni Christi, Eph. IV. 7. 13.  
idque vi promissionum paulo antē adductarum, quæ ut ab eo  
proveniunt, qui veritas est, Job. XIV. 7. ita falli aut fallere nesciunt.

LIX. Ecclesia igitur, quantum in ipsa est, docet Verbum DEI  
semper eo modo, quo à DEO revelatum. sibiique concreditum est,  
& administrat sacramenta ad Christi præscriptum, idq; per ministe-  
rium publicum, ut per hæc media, in usu publico constituta non  
solùm spiritualis influxus à capite Christo in singula membra deri-  
vetur & diffundatur ad ipsorum & totius corporis adificationem,  
sed etiam quotidie nova generentur membra, quibus in dece-  
dentiū vicem succendentibus corpus totum ab interitu vindi-  
cetur.

LX. Cæterū licet ex solis verè credentibus & sanctis Ec-  
clesia, ut suprà vidimus, in Christo aggregata sit per fidem, hac  
tamen in mortalitate ea nullib. nō permixta est cum non sanctis, qui  
& ipsi verè credeantur & sanctorum speciem mentiuntur, seu, ut  
Paulus ait, pietatis formam quidem habent, sed ejus vim abnegant,  
II. Tim. III. 5. & propterea in Ecclesiæ membris haberi volunt &  
solent, non quòd verè ejus membra sint, sed quòd esse videan-  
tur ob pietatis speciem, quam præ se ferunt. Quæ etiam causa  
est, cur Ecclesiæ ratione ministerii externi & doctrinæ publicæ  
non semper sit una & eadem facies. Unde ut quæ ipsi per se con-  
veniant, & ad ejus essentiam spectent, & quæ eidem accident.

Non-Sancti  
admixti.

Eccl. diversæ  
facies.

recte discernere discat studiosa juventus, non nihil hic immorandum ducimus.

LXI. Contingit autem duobus potissimum modis, ut Ecclesia permixta sit non-sanctis. Uno, ut *vere credentes & sancti*, quibus constat Ecclesia; altero ut *hypocrita & mali admixti eminant & præponderent*.

a. Sancti qn.  
eminent.

non-sancti  
eminent.  
ratione  
zula.

LXII. Atque hoc rursum modo non uno fieri consuevit. Quandoque enim non-sancti, qui Ecclesiaz admixti sunt, in extera fidei professione consentiunt, aut certe videlicet volunt consentire cum verè credentibus & sanctis; discrepant autem ab iisdem in vita & moribus. Idque quando sit, censentur verè credentes & sancti tum eminere & præponderare, cum non tantum nullæ in fidei doctrina corruptelæ, nulla enormia peccata & flagitia publica in Ecclesiaz cœtu tolerantur, sed sancti etiam, cum primis qui docentium munia sustinent, doctrinæ pariter & vita exemplo, magistratus autem & cæteri pii, quisq; suo in statu, morum honestate ad vitæ sanctimoniam sectandam alii prælucent. Tunc enim hypocrite & mali plerique vel pudore suffusi, vel censuræ Ecclesiasticæ & poenarum severitate territi exterius ab enormibus peccatis abstinent, & hominum in conspectu, quoad possunt, ad sanctorum exemplum se componere solent, ut hos inter & illos accuratè satis discernere lèpiciule non valeas, præfertim cum sancti etiam suas habeant infirmitates & naves, ut superius n. XIII, monuimus.

LXIII. Contraria autem non sancti eminere & vitâ ac moribus præponderare censentur, quando turbata aut ejectâ disciplinâ Ecclesiasticalibusque silentibus publicè licet, quod lubet, cum v. g. ebrietas vulgo habetur in laude, avaritia parsimonia fuso coloratur, adulteria, rapina, cædes, vel non; vel non est, quâ decebat. Severitate puniuntur, pauperes & egeni non eriguntur, sed opprimuntur &c. ut de suorum temporum statu conquesti sunt. Prophetæ Jesaiæ c. III. 7. c. V. 7. seqq. Jerem. c. V. 8. c. IX. 4. seq. Ezechiel c. XXII. & alii. Tunc enim Sancti improborum multitudine pressi, & tantum non oppressi in medio nationis pravæ cum gemitu vitam ducunt; sese interim, Spiritus S. gratiâ juvante, ab operibus carnis, quoad in hac naturæ infirmitate, possunt, pueros servant & intemperatos.

LXIV.



**EXIV.** Interdum vero non-sancti etiam in externa fidei professione dissentient à verè credentibus & sanctis, & tum imprimis e-doctrina. minent & præponderant, cum in Ecclesiæ cœtu eâ sunt potestate & autoritate, ut quos amplexi sunt, errores etiam publicè docere & disseminare valeant, eosq; disseminent, rectè sentientibus ita oppressis, ut ne hiscere quidem aut publicam doctrinam adulterantibus quicquam obnitiatisint. Contrà autem eminent & prædominantur hoc respectu verè credentes & sancti, cum Verbum DEI, nernine prohibente, per sinceros præcones publicè docent, prout interius in cordibus suis id habent defixum & radicatum, nempe absque corruptelis fidei & morum, & Sacra menta ad Christi præscriptum administrant, ita ut non sancti suos, quos tenent, errores vel dissimilare cogantur, vel saltem publicè docere & profiteri prohibeantur.

**LXV.** Quando igitur non-sancti in Ecclesia ita admixti sunt verè credentibus & sanctis, ut hi & doctrinæ & morum integritate publicè emineant & præponderent, tunc publicum ministerium solet esse purum & incorruptum, exteriorque Ecclesiæ facies ac conditio optima & felicissima est. Licet enim admixti non-sancti tunc etiam bene multi sint, tamen quia doctrinæ corruptelas, si quas fovent, dissimulant, & in vita moribusque ad sanctorum exemplum pleriq; in speciem sese componunt, minus periculi aut molestiæ creare solent Ecclesiæ, inquit quia plurimi exterius sele sic gerunt, ut verè credentibus & sanctis non videantur absimiles, cumque iis ratione externæ societatis in unum quasi corpus coalescant, ejus externum splendorem illi augent, potius, quam minuunt. Quia de causa solet etiam totus ex sanctis & non-sanctis seu hypocritis aggregatus cœtus absolute & simpliciter vocari Ecclesia Christi, idque propterea quod ita intellecte permixti sint sancti & non sancti, ut alteros ab alteris exactè discernere non possumus. Locutio interim minus propria est, pertinens ad illam intellectionis figuram, quâ toti cœtui tribuitur, quod tantum ejus potiori parti convenit, quam alias dicunt synecdochen totius pro parte. Quod ita ostendo:

Ecclesia propriæ dictæ secundum se totam est corpus Christi, cuius nulla dantur vera membra, præter Christi membra, ut ex superius

Ecclesiæ facies  
optima.

Ecc. synec-  
dochice dicta.



superius adductis constat. Sed cœtus ex verè credentibus & hypocritis aggregatus non est secundum se totum corpus Christi: nam hypocrita & mali, ut superius ostensum est multis, non sunt membra corporis Christi. Ergo cœtus ex verè credentibus & hypocritis aggregatus non est Ecclesia propriè dicta. Ergo cum ita dicitur, impropriè sic dicitur.

LXVI. Huic nostræ sententiæ suffragatur Aug. Confess. a. VII. cum Ecclesiam simpliciter definit per congregationem sanctorum &c. & clariùs art. VIII. ubi Ecclesiam dicit PROPRIE esse congregationem sanctorum & verè credentium, cui in hac vita multi hypocrita & mali admixti sunt. Et ejus Apologia a. VII. p. m. 150. Nos juxta scripturas sentimus, Ecclesiam propriè dictam esse congregationem sanctorum, qui verè credunt Evangelio Christi, & habent Spiritum Sanctum. Et tamen fatemur, multos hypocritas & malos his in hac vita admixtos habere societatem externorum signorum, qui sunt membra Ecclesia secundum societatem externorum signorum. Quod si verò Ecclesia propriè est verè credentium & sanctorum congregatio, cui hypocrita & mali ex accidente sunt admixti, necesse est, hypocitarum & malorum congregationem non esse Ecclesiam, & consequenter totum ex verè credentibus & hypocritis n. alisque aggregatum cœtum dici Ecclesiam, non quod Ecclesia ratio & quidditas ipsi secundum se totum insit, sed ab ea parte, quæ constat verè credentibus & sanctis, cui soli definitio & quidditas Ecclesia convenit. Hæc autem loquendi ratio, quâ aliquid tribuitur toti, quod ei non secundum se totum, sed saltē secundum partem convenit, apud Rhetores dicitur *synecdoche totius pro parte*, cuius usus in scripturis facies alijs frequens es. Ita conversos Corinthios vocat Paulus Ecclesiam DEI, quæ Corinthienses, sanctificatos per Christum Iesum, vocatos sanctos, I. Cor. 1. 2. inter quos tamen citra dubium erant etiam hypocrita & mali, utpote qui dissidiis distracti dicebant alius quidem: Ego sum Pauli; alius: Ego sum Apostolo; alius: Ego sum Cepha &c. v. 11. 12. Qua de re bene Augustinus Epist. LIX. Scriptura mos est, ita loqui de parte, tanquam de toto: sicut Corinthios in primis sue Epistola partibus ita laudat, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea, in nonnullis Epistola ipsius locis ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter



propter quosdam, qui tales erant. Itam de vinarum Scripturarum consuetudinem per omne corpus literarum ejus creberrimo sparsam, quisquis diligenter adverrit, multa dissolvit, que inter se videntur esse contraria. Eundem in modum intelligendum esse, quod Galatarum ceteris dicuntur Ecclesia Gal. I. 2. docet B. Lutherus in comm. in Epist. Gal. Sanctus Hieronymus, inquiens, movere hic magnam questionem, cur Paulus voces Ecclesias, qua Ecclesia non sunt? Quia Paulus, inquit, scribit ad subversos Galatas & translatos a Christo & gratia ad Moysen & legem? Ad hoc respondeo, Paulum vocare Ecclesias Galatas per synecdochen, cuius usus in scripturis est frequentissimus &c. Et quæ encomia & privilegia Ecclesiarum in scripturis tribuantur, eatori ex verè credentibus & hypocritis aggregato cœtu non nisi per synecdochem convenire, constans est Theologorum sententia. Semel nota, inquit D. Dietericus in Inst. Catech. p. m. 430. epitheton hoc (una) sicut & seqq. sancta, Catholica, Apostolica, prædicari de tota Ecclesia non nisi synecdochice, propter electos & verè credentes in ea. Menzernus in Exeg. Aug. Conf. art. VII. Propter electos, ait, quicquid de Ecclesia honorifice dicitur, dici satendum est. De qua synecdoche ita Augustinus &c. Verba Augustini paulò ante citata sunt. Gerhardus Tom. V. de Eccles. pag. 676. scribit: Scriptura loquitur de Ecclesia diversimode, primo populariter & synecdochice, & sic totum vocatorum cœtum hoc nomine intelligit. Deinde exquisitè, proprio & principaliter, & sic solos electos sive sanctos in illo cœtu numerat. Confer ibid. p. 760. & p. 805. D. Georgium Zemann in fernerer Offenbahrung des uncatolischen Pabsthumus Tom. I fol. 230. 370. 412. seq. 455. D. Aegid. Hunn. Tom. V. Operum Lar. fol. 486. & alios.

LXVII. Quibus observatis facile est intelligere, quid pondere ris insit argumento, quod Henricus Wagnereck, Jesuita Ingolstadiensis in Anti-Dorscheo p. 289. necrit ex Apolog. Aug. Confess. verbis hisce: Si Ecclesia, qua est veri regnum Christi, distinguitur à regno Diaboli, neesse est, impios, cum sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam: quanquam in hac vita, quia nondum revelatum est regnum Christi, sint admixti Ecclesia, & gerant officia in Ecclesia. Argumentum ejus est hoc: Ecclesia, cuius maxima pars est sub regno diaboli, non est vera Ecclesia, qua est regnum Christi. Ecclesia visibilis

Wagnerecki  
argumentum

E

secundum



secundum societatem externam Verbi & sacramentorum est illa, cuius  
maxima pars, in modo plerique pars est sub regno diaboli. Ecclesiam  
enim esse quosdam paucos pios, quos quasi reliquias Deus conservat, &  
semper hoc fuisse in mundo, ut vera Ecclesia non esset illa, que dice-  
batur Ecclesia, sed per quidam pauci, afferit Lutherus in lib. de  
servo arbitrio: idem sentium Magdeburg. Cent. I. lib. 4. col. 171. &  
181. Melancth. in locis Theol. loco 12. Non ergo Ecclesia visibilis  
est vera Christi Ecclesia. Sed hoc, inquit, tam absurdum est, ut a ne-  
mine sustineri possit. Sequitur enim, esse Ecclesiam falsam; quia in-  
ter veram & falsam non datur medium &c. Ita ille, sed prorsus lu-  
bricè! Committit enim fallaciam à dicto secundum quid ad dictum  
simpliciter. Nam ex eo, quod maxima visibilis Ecclesia pars est  
sub regno Diaboli, non sequitur, quod Ecclesia visibilis simpliciter  
non sit vera Ecclesia, que est vere regnum Christi, sed quod  
secundum eam partem, que est sub regno Diaboli, non sit vera Eccle-  
sia, quod verissimum. Hoc tamen non obstante, Ecclesia visibilis,  
cujus ministerium purum & incorruptum est, absolutè dicitur Ec-  
clesia vera, quamvis non secundum se totam Ecclesia vera sit, perinde  
ut Gen. III. 19. absolutè dicitur, hominem esse defumatum ex terra, &  
in terram reverlurum, quamvis secundum animam nec ex terra  
sit defumatus, nec revertatur interram Spiritus enim reddit ad Deum,  
qui dedit illum, Eccl. XII. 8. Idem contingit in aliis locutionibus  
tynecochicis, quarum ea est ratio, ut totum absolute denominent,  
non obstante, quod ratio denominationis ipsi non secundum se  
totum, sed solum secundum maiorem, vel potiorem aut nobis magis  
conspicuum partem insit: quod sexcentis exemplis, ex Scriptura  
& usita communis petitis hic ostendit posset, nisi rei veritas jam suis  
fulgeret radiis, nobisque verendum est, ne soli lucem addituri ina-  
nem locemus operam. Eò igitur revertimur, unde digressi  
sumus.

*Mali vel dis-  
ciplinā tan-  
tum; vel do-  
ctrinam quoq;  
corrumptunt.*

LXIX. Porro hypocrita & mali cum in Ecclesia eminent &  
præponderant, vel relinquent fidem doctrinam incorruptam; disci-  
plinam Ecclesiasticam vero labefactant, & laxatis carnifensis sub  
Christiano nomine agunt, quod libet: vel etiam doctrinam corru-  
ptam implicati sunt, & juxta cum moribus ipsam fidei doctrinam  
adulterant.

LXIX.



**LXIX.** Prius ut plurimum evenire solet in illis Ecclesiæ partibus, *Ecclesiarum*  
in quibus qui ad reipublicæ gubernacula sedent, carnis securitatis *corruptus*  
& temulentia somno quasi sopiti, vera an falsa sit publica Ecclesiæ *quoad mores*.  
doctrina, parum aut nihil curant, eamque neque promoveant, neq;  
magnopere impediunt aut persequuntur: interim in vita non solum  
sui immemores officii quidvis permittunt impunè patrari, sed ipsi  
etiam nullo non scelere polluti opprimunt pauperes, leges in jure  
dicendo avaritia explendæ causâ electunt pro luctu, in quam vo-  
lunt partem, suoq; exemplo aliis ad quævis patranda facinora fa-  
cem preferunt, quod in Ecclesiâ V. T. temporibus Prophetarum  
fieri consueverat, testibus *Esaia c. I. 23. c. V. 22. seq. c. X. 1. seq. Eze-*  
*chiele c. XXII. 6. 27. Micha c. VII. 3. & aliis.* Quod si Pastores  
& doctores quoque improbis sint, & aliud doceant, aliud vitâ exprimant;  
dicant, & non faciant. *Matth. XXIII. 3. doceant alios, sed*  
semetipsis non doceant: *predicent, non esse furandum, non adulteran-*  
*dum; & tamen ipsi farta, adulteria committant, Rom. II. 21. seqq.*  
& ad aliorum scelerâ obmutescant tanquam *cane muti, Esa. LVI. 9.*  
non cæteris modò hypocritis & malis, quorum aliqui forsitan po-  
tuissent ad meliorem frugem reduci, ad quamvis improbitatem  
fores aperient bipantes, sed infirmioribus sanctis etiam, qui a-  
lioqui in pietatis officio retineri potuissent, via sternetur ad defe-  
ctionem. Atque tunc exterior Ecclesiæ status corruptus est *ra-*  
*tione discipline, vita & morum, & Ecclesia, qua verè credentibus*  
& sanctis constat, impiorum nube quasi tecta est *instar tuguriij, qua-*  
*lia sunt in vincis, & instar tugurioli, in quo pernostant in cume-*  
*rariis horis, & sicut urbs vastata; sicut semen sanctum in medio So-*  
*domorum relutum Esa. I. 8. 9. sicut truncus, cuius rami & filia ab-*  
*jecta, c. VI. 17. est populus pauper & egenus, Sophon. III. 12. & grex pu-*  
*llius, Luc. XII. 32.*

**LXX.** Posteriori verò plerunque contingit, cum potentiores  
& qui autoritate valent, à fallis doctoribus in errorum precipita  
abrepti, recte sentientes opprimunt, & suo pro arbitrio ministri-  
um Verbi & Sacramentorum sui similibus, i.e. impuris commit-  
tunt doctoribus, qui Verbum Dei quidem doceant, sed cum errori-  
bus & corruptelis admixtis, vel etiam sacramenta nō per omnia recte  
& Christi ad præscriptum administrant, atque sic cum semine Ver-  
bi di-

*Ecclesiarum*  
ratione do-  
ctrine corru-  
ptus.



Bi divini simul zizaniorum semina spargant, & in agrum Ecclesiæ disseminent. Et tunc Ecclesia ratione doctrina juxta ac morum corrupta est, & quo errores plures & graviores publicæ admixti sunt doctrinæ, & una cum Verbo Dei inculcantur, morumq; improbitas invaluit magis, cò deformior est externa Ecclesiæ facies, deteriorque rectè credentium & sanctorum conditio, non solum eam ob calamitatem, quòd tanta sub impiorum colluvie vitam degentes nulla non urgunt iniquitate, sed etiam quòd multo cum dolore corruptelas publicè proponi solitas audire, superstitiones & abusus invalescentes coram intueri, quin & falsorum doctorum impuro & corrupto uti ministerio ipsimet coguntur. Cujusmodi verè credentium conditio in parte Ecclesiæ occidentali potissimum fuit ante B. Lutheri tempora per aliquot secula, ubi ministerium Verbi & Sacramentorum fermento humanarum traditionum, corruptelarum, superstitionum & abusuum innimane quantum erat corruptum & miserum in modum deformatum, quo tamen quin iterentur, subterfugere non poterant verè credentes & sancti, qui DEI gratiâ supererant. Et licet subinde aliqui ex iis à Spiritu S. excitati publicè contradixerint, falsaque doctrinas magnâ animositate reprehenderint, vel alias requisiti veram fiduci doctrinâ intrepide confessi sint, erroribus & corruptelis palam improbatis & rejeatis, quorum sanguine ebria dicitur meretrice illa magna, sedens super aquas multas, mater scortationum, & abominationum terra, Apoc. XVII. s. 6. maxima tamen pars, ejus tyranidem veritatem contrâ mutare quidem aula est, præsertim cum ad confessionem non fuerint requisiti: plurimi etiam G. Bæbii resurraverunt, ut Apoc. II. 24. dicitur, non ita penetrarunt, ut cum successu iis obviam ire & fallas doctrinas refutare potuerint, qui tamen in fidei simplicitate salutis fundamentum, DEI gratiâ, retinuerunt integrum, quamvis multâ cum infirmitate.

*Saintes Eccl.  
ante Luther  
temporibus*

Ecclesia corrupta & pura comparatio:

LXXI. Sicut ergo in florenti Ecclesiæ statu, cum verè credentes & sancti ratione & doctrina & morum eminent, non sancti admixti censemur unum cum illis corpus constituere, propterea quòd idem cum illis ministerium publicum habeant commune, & eandem fidei morumque doctrinam exterius profiteantur, ut à verè credentibus & sanctis latis accurate discerni non possint: ita



ita contrà cùm non sancti gravioribus fidei erroribus irretiti in Ecclesia eminent & præponderant, censentur verè credentes & sancti vicissim cum illis unum constituere corpus, non quod in publica fidei doctrina cum iis per omnia consentiant, sed quod subterfugere non possint, quia eodem cum illis, coquè impuro & corrupto utantur ministerio, & fidei doctrinam, quam DEI gratiâ puram, vel saltem à gravioribus erroribus, ipsius fundamentum labefactantibus intemeratam retinent, vel persecutorum tyrannidem veritatis vel aliunde impediti publicè profiteri non audent, & per hoc sub non-sanctorum multitudine latent, ut discerni ab iis non possint, sicut tempore Elias sub impio Baalitarum cœtu latebant septem milia sanctorum, qui genua sua non inflexerant Baali, I. Reg. XIX. 10. Rom. XI. 4.

LXXII. Pontifici quidem hac de re dissentient à nobis, & Ecclesiam sub impuro ministerio conservari, idque eum errantium caterva commune habere. Verum nihil absurdum hinc subesse, & DEI gratiâ fieri posse, quod docemus, facile intelliget, qui distinguere noverit inter Verbum DEI, quod tractant ministri impuri, & inter corruptelas, quas in ejus prædicatione admiscent. Illud & quicquid ei in doctrina publica est conforme, per se pertinet ad Ecclesiam, haec ad hypocritas & malos. Illud medium est, ad fidem in cordibus hominum accendendam tunc quoque efficax, cùm ab impuris prælegitur & tractatur doctoribus; haec paleæ & scoria sunt, quæ in piorum cordibus, cùm forte penetrant, virtute Spiritus S. disspelluntur, & evanescunt, vel certè ante finem vitæ igne probationis tanquam stipula exuruntur I. Cor. III. 15. Illud cum in publico cœtu prælegunt ministri, semen bonam spargunt in agrum Ecclesie, ex quo filii & filiae spirituales DEo nascuntur. In ejus explicatione autem, cùm falsas admiscent glossas & corruptelas, zizaniorum semina spar-gunt & disseminant: & illud quidem faciunt iudicem ut ministri Christi; hoc ut servi inimici illius, h.e. diaboli, Matth. XVII. 24. seq. & v. 37. 39. Unde licet in uno visibili cœtu, ut triticum & zizania in uno agro, permixti sint boni & mali auditores, & eandem audiant.



doctrinam ab impuris doctoribus prædicatam, hoc tamen non obstante ad prædicationem & doctrinam publicam aliter se se habent boni, h. e. verè credentes & sancti; aliter male & hypocrita. Hi enim amplectuntur cum pretioso etiam vile, cum vero falso; h. e. corruptelas & errores quosvis, prædicationi Verbi admixtos, quibus bonum Verbi semen impeditur, ne in ipsis radices agere & crescere possit, eosque tenere & propugnant mordicūs; & contrā premunt & persequuntur purioris fideli confessores acerrimè. Illi verò, Spiritus S. gratiâ collustrati, discernunt pretiosum à vili, divinum ab humano, Christianum ab anticristiano, verum à falso, genuinum ab adulterino, ut loquitur Gerhardus Tom. V. de Eccl. p. 954. & illud amplectuntur; hoc respuunt: vel si quid vile, humanum, falso, adulterinum, h. e. si quas falsas opiniones imbibent, & ex ignorantia foveant, leviores illæ erunt, & ita comparatae, ut fidei fundamentum in ipsis relinquant integrū, quibus etiam sine pertinacia adhærebunt, easdem abjecturi, ubi rectius fuerint educti; qui etiam, cùm semen Verbi divini in ipsis radices agat & crescat, à Christo terra bona comparantur, quæ vi feminis recepti fructum ferri, alia quidem centena, alia sexagena, alia tricena, Matth. XIII. 7. 8. Sicut ergò terra unā sui parte bona est; aliā parte sterilis, vel etiam pro seminum diversitate simul triticum & lolium profert: ita in codem Ecclesiæ cœtu boni, qui semen Verbi verâ fide recipiunt, bona terra sunt, & veram Christi Ecclesiæ constituant; mali verò, qui suffocato Verbi semine spinas errorum & corruptelarum proferunt, instar spinosæ terræ sunt, & Satanæ synagogam constituant, quamvis bi Ecclesiæ nomen sibi arrogent, & dici velint, quod non sunt; illi autem quid nostro conspectui non apparent, vulgo non dicantur, quod verè sunt.

Gerhardi &  
aliorum  
testimoniorum.

LXXIII. Eruditè hoc, quicquid est, explicat noster Gerhardus d. l. p. 935. cùm ostenturus, quomodo & apud quos sub densissimis Papatus tenebris vera religio, & ex consequenti etiam vera Ecclesiæ conservari potuerit ac conservata sit: Certum est, inquit, in mediis Papatus tenebris singulari DEI beneficio conservatum, fuisse sacrosanctum codicem Biblicum, illius quidam pericopa publicè fuerunt populo prælectæ & exposite, ac integri quidam libri in Scholis enarrati. Quoties igitur textus Biblicus fuit prælectus & exppositus, toties Ecclesiæ vera confessio publicè fonsit: quia vera Ecclesiæ



Ecclesia amplectitur doctrinam Scriptis Prophetarum & Apo-  
stolorum propositam, nec dubitari illa ratione potest. Deum per  
hoc medium iuxta infallibilem suam promissionem Esai. LV. 10. 11.  
in cordibus quorundam hominum fuisse efficacem, cum Verbum  
DEI nunquam revertatur ad illum vacuum, quin aliquem fru-  
stra proficeret. Quamvis vero explicaciones falsae & scripto DEI  
verba contraria a praeconibus fuerint admixta, tamen textus ipse  
singulari DEI providentia inviolatus mansit, quem electus DEI  
populus audiuit & fidei ac vita normam agnivit: depravatione  
vero & corruptelas aversatus est, ut auditorum aures puriores fue-  
rint, quam docentium iabia &c. Et seq pag. Praeter Codicem  
Biblicum sub Papatu etiam mansit symbolum Apostolorum, quod  
est epitome quedam precipuorum ac fundamentalium fidei Chri-  
stiana articulorum: mansit Decalogus, mansit oratio Dominica,  
mansit historia passionis Dominica, mansit baptismus regenera-  
tionis Sacramentum, manserunt quedam doctrinae coelestis capita  
incorrumpita. Equis vero dubitare poterit, quin per haec media Spi-  
rus Sanctus in quorundam cordibus fuerit efficax ad regenerationem  
& salutem? &c. Et pag. 968 de medio conversionis, quo Pontificii  
in Indorum conversione usi, idem hunc scribit in modum:  
*Quod attinet conversionis medium seu doctrinam, in ea est mixtura*  
pretiosi & vilis, Christiani & antichristiani, Apostolici ac pseudo-  
Apostolici. *Pretiosum, Christianum, Apostolicum sunt doctrinae*  
capita sincera & incorrupta de Scriptura sacra, de mysterio Trini-  
tatis, de Christo Mediatore, de baptismō, de vita aeterna &c. *vile,*  
antichristianum & pseudo-Apostolicum sunt dogmata Papalia de  
traditionibus humanis, de invocatione Sanctorum, de meritis ope-  
rum, de purgatorio, de primatu Pape &c. *Utrumque horum suum*  
obtinere effectum, quia per pretiosum illud & Christianum efficax  
est Spiritus S. ad aliorum conversionem, qua non est ascribenda  
vile & antichristiano eidem commixto: per vile & antichristianum  
impeditur conversio & salus, nimisrum si exuberet & pertinaciū  
defendatur. *Quemadmodum una eademque manu quis serere potest*  
semina frugum & lizaniorum: ita quoque uno eodemque ministerio  
doctrina Christiana & corruptela antichristiana in novo illo orbe  
fuerunt proseminate. *Quemadmodum igitur semina frugum cre-*  
*scunt*



Serunt & fructum salutarem proferunt, non obstante Xianorum mixtum: ita in quorundam cordibus per illam predicationem verbi Spiritus S. ad conversionem fuit efficax, licet fermento, pulvere & sordibus antichristianarum superstitionum, traditionum & errorum fuerit commixtum. Quemadmodum vero Xania in quibusdam agris segem eucant, ita quoque antichristiana corruptela in quorundam cordibus legetem doctrinæ cœlestis corrumpunt, nimis si pertinacius defendantur, & fundamentum fidei iisdem convellatur. Et paulò pôst: *Textus Scriptura, Decalogus, oratio Dominica, Sacramentum baptismi & cana Dominicæ* sine media, quorum dispensatione plantatur & ansetur Ecclesia; neg. illa desinuit esse, quod sunt, neq; desinunt esse efficacia, cum ab impuris Doctoribus heresum & superstitionum cano imbutis administrantur, sed manent organa salutis, per qua, mediante Spiritus S. efficacia, in corrupto Ecclesiæ statu aliqui convertuntur & salvantur. Vide ibid. plura. Confer etiam *Zeemannum d. l. fol. 335. seq. ubi egregiè hac de re disserit, & rem totam eleganter explicat.* Similia leguntur apud *Hunnum in Loc. de Eccles. pag. m. 116. & Tom. V. Op. Diff. L. col. 478. seq. D. Mentz. in Exeg. Aug. Conf. art. VII, pag. m. 391. & alios, cum primis apud B. Lutherum, qui ante omnes hæc passim solidè declaravit. Videantur *Tom. IV. Jen. Gerne. fol. 320. Tom. VI. Jen. f. 62. Tom. VII. Wicel. fol. 559 seq. Tom. V. Wit. Lat. fol. 278. & alibi.**

LXXIV. Verum nostræ sententiæ hactenus declaratae obstreput adversarii, & inter illos *Johannes Kircherus apostata in causis sua conversi*, ejusque hyperaspistes *Henricus Wagnereck d. L prætententes, Ecclesiæ, que non est omni ex parte & puncto vera & pura, non posse esse Matrem fidelium.* *Wagnereckii* verba p. 321. sunt hæc: verissimum est, quod statutus Kircherus, Ecclesiæ, que non est ex omni parte & puncto vera & pura, non posse esse Matrem fidelium. Non est aliter Mater, quam predicando ex omni parte & puncto verum & purum Verbum DEI, & secundum illud administrando Sacraenta. Non posse enim Verbum Divinum conjungi ullaenius verbo humano & erroneo, ostendimus supra Aphor. 7. & hic præterea confirmamus:

s. Ratio

1. Perfecta DEI sunt opera, Deuteronomio. 32. 4. Ergo vel maxime Eccle-



Ecclesia est perfecta, inter præstantissima D<sup>EI</sup> opera procul dubio numeranda, ut pote quam acquisivit sanguine suo, Act. 20. 28. Perfectum autem id est, cui nihil deficit, juxta Aristot. 3. Phys. text. 27. in iis videlicet, ad quæ ordinatur, ut explicat S. Thomas 1. 2. q. 171. Atqui Ecclesia, quam representant Apostoli, Propheta, Evangelista, & Pa-  
storæ at doctores, ordinatur ad vitrandam circumventionem erroris, Eph. 4. 14. & ut sit columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. 14. absque ullius erroris aut veritatis exceptione. Ergo non est per-  
feta, nisi sit omni parte & puncto pura & vera. Si enim vel in uno  
puncto errat, deficit illa veritas tali errori opposita: cum iam sine exce-  
ptione ordinetur ad veritatem.

II. Vedit DEUS cuncta opera Natura, quæ fecerat, & erant valde bona Gen. 1. v. 31. Sunt ergo multo majori ratione valde bona opera gratia, inter quæ eminet Ecclesia. Non est autem valde bona, sed nec bona quidem Ecclesia, si non omni parte & puncto est pura, quia quilibet singularis defectus causat malum, bonum autem causatur ex integrâ causa, ut S. Dion. dicit. cap. 4. de divin. nom. post medium. Inepta igitur est Dorishei distinctio, dum singit, Ecclesiam etiam ha-  
reticam & falsam posse esse Matrem fidelium, non quia falsam, sed quia  
caeleste semen retinens. Non enim alia Ecclesia generat fideles, quam  
Ecclesia Christi, qua autem parum falsa parrim vera, partim bona  
partim mala singitur, absolute mala est, non bona. Nullum ma-  
lum est, quod non sit in aliquo bono, aut habeat aliquid boni; alio-  
qui malum si integrum sit, destruit seipsum, ait Aristot. 4. Ethic.  
c. 5. Non autem est Ecclesia Christi ( que in N. T. sola est mater fide-  
lium ) si mala est: non est vero bona, si aliqua parte aut puncto sui  
mala est, quia malum ex quilibet defectu. Non potest igitur Mater  
esse fidelium illa Ecclesia, qua non omni parte & puncto pura est &  
vera.

III. Denique Sapiens & bonus artifex non facit opus à regulis  
sue artis errans; Peritus architectus non fabricat sponte ac delibera-  
tè domum ruinosam, aut querimus agar, aut illo defectu laboret. Ipsa  
eterna sapientia Christus architectus fuit Ecclesie sua, quam edifi-  
cavit supra petram, & quam stabilivit ut columnam, Matremq; fide-  
lium constituit. Ergo paradoxum est, immo summo Artifici injurio-  
sum, tali edificio nullam falsitatis rimam impingere. Culparet hoc

2. Ratio.

3. Ratio.



epur artificem suum, non laudaret, si tale esset, quale Dorscheus cum suis concinmat: non solum gratia, vera fidei, verum etiam lumini naturae aduersarius.

Refst.

ambiguitas  
evolvitur.

Priori sensu  
conseq. nega-  
tur.

LXXV. Hac Wagenerckius verbosè quidem, sed minus solidè, in quorum frontispicio statim notabili ludit ambiguitate. Quod enim dicit: Ecclesiam non esse aliter Matrem, quam prædicando ex omni parte & puncto verum & purum Verbum DEI, & secundum illud administrando sacramenta; ambiguum est, quandoquidem ~~wegtrduertr~~ ille: ex omni parte & puncto verum & purum; referri potest vel ad verbum Dei, ut declareret, quale in se sit Verbum Dei, ex quo nascuntur fideles, nempe omni ex parte & puncto verum & purum; vel ad verbum prædicandi, ut declareret, qualem oporteat esse Verbi divini prædicationem, si ex illa debeant Deo filii nasci, nempe omni ex parte & puncto veram & puram. Si ito accipiatur modo, sensus erit; Ecclesiam non esse aliter matrem, quam prædicando Verbum Dei, quod in se & quâ tale omni ex parte & puncto est verum & purum; & Sacra menta secundum illud administrando. Sin hoc? sensus emerget talis: Ecclesiam non esse aliter Matrem fidelium, quam per prædicationem Verbi Divini omni ex parte & puncto veram & puram.

LXXVI. Priori sensu vera est Wagenerckii assertio, sed si inde id velit inferre, quod in quaestione est, nempe Ecclesiam, qua non est omni ex parte & puncto vera & pura, non posse esse matrem fidelium; negabitur à nobis consequentia, & quidem rectissimè. Nam Verbum Dei, cuius vi Ecclesia est fidelium mater, tunc etiam est omni ex parte verum & purum, cùm ejus prædicatio non est ex omni parte & puncto vera & pura. Aliud enim est Verbum DEI; aliud ejus prædicatio. Illud hoc ipso, quod DEI falli & fallere neciū Verbum est, quâ tale non potest non esse omni ex parte & puncto verum & purum. Prædicatio autem est actus hominum, qui falli & fallere possunt, cui propterea non repugnat subesse falsum. Neque raro fit, ut Verbi divini præcones prædicationi vel ex inscitia vel ex perversitate aliquid humani & erronei admisceant. Quod cùm contingit, distinguere oportet in prædicatione inter id, quod est Ecclesiæ, & id, quod est prædicantium proprium. Ecclesiæ est ipsum Verbum DEI prædicatum. Prædicantium autem est, quicquid



quid humani & erronei admisceretur. Sicut autem alias non necesse est, ut quæ conjuncta sunt, etiam conjunctim operentur, seu simul influant in effectum: ita in præsentia cum prædicationi Verbi divini adjungitur aliquid humani & erronei, non necesse est, ut in quibusque auditoribus utrumque simul operetur, sed solum, idq; *omni ex parte & puncto verum & purum Verbum DEI est & manet potentia Dei ad salutem omni credenti*, *Rgm. I. 16.* & *semen immortale*, ex quo Ecclesæ filii & filiæ spiriteales nascuntur, *I. Petr. I. 23.* Prædicantium vero errores admixti in ipsam regenerationem planè non influunt, sed vel evanescent absque ullo effectu, vel si qui non sint absque omni effectu, tunc penetrabunt quidem simul cum Verbo DEI in hominis renascendi cor, sed in ejus regenerationem ne sic quidem ullum præbebunt influxum, verum si graviores fuerint, ut ipsum fidei fundamentum convellant, regenerationis gratiam impedient; sin leviores, qui fidei fundamentum relinquant integrum, eam quidem non remorabuntur, in renati animo tamen relinquent nãvos & errores, qui perinde ut alia ignorantia & infirmitatis peccata renatis ex accidente adhærent, salvâ tamen illorum fidei: quos forsan temporis progressu rectius edocti, ut dictum, abjicient ultrò, vel probationis ignis instar stipularum aliquando in iis consumet, *I. Cor. III. 13.* Non ergo repugnat, quod minus *Verbum DEI ex omni parte & puncto verum & purum tum quoque regenerationem in aliquibus efficiat*, ejusque virtute Ecclesia fidelium Mater esse possit, cum illius *prædictio publica non est ex omni parte & puncto vera & pura*.

LXXVII. Si autem, quod dicebatur: *Ecclesiam non esse aliter Matrem, quam prædicando ex omni parte & puncto verum & purum Verbum DEI, & secundum illud administrando Sacramenta;* altero sensu intelligi, & inde concludi debeat, *Ecclesiam, que non est omni ex parte & puncto vera & pura, non posse esse Matrem fidelium;* tunc committetur petitio ejus, quod est in principio. Nam hoc ipsum versatur jam in controversia & contentione: Annon Ecclesia tunc etiam, cum publica Verbi divini prædicatione non est ex omni parte & puncto vera & pura, possit fidelium mater esse, & DEo filios generare, non quidem per prædicationem, quatenus ea impura est, sed per eandem, quatenus *vera & Verbi*

*Verbi divini prædicatio est? Cujus negativam tueruntur adversarii, reclama-*  
*mante veritate, hinc inde in specier. adductis ratiunculis stramineis,*  
*tantum ut qualemcumque colorem obducant meretrici illi magna &*  
*matri scortationum & abominationum terra, cum qua scortati sunt*  
*reges terra, & cuius scortationis vno inebriati sunt incole terra, Apoc.*  
*XVII. 1. 2. 3. eamque pro virgine, h. c. Ecclesia pura & incorru-*  
*pta hocce sub fuso simplicioribas obrindere possint. Quod ipsum*  
*etiam hec Wagenerckii, & quæ ab ipso adducta sunt alia, jam jam*  
*à nobis discutienda, comprobant.*

LXXIX. Dicit: à se ostentum esse Aphor. VII. *Verbum divi-*  
*nun non posse conjungi ullatenus verbo humano & erroneo. Sed in*  
*hoc quoq; obscurè loquitur. Potest enim id intelligi de conjunctio-*  
*ne Verbi divini cum humano & erroneo vel (1.) in ipso codice Biblico;*  
*vel (2.) extra codicem Biblicum in externa prædicatione facta. Priori*  
*modo ut Verbum divinum conjungeretur humano & erroneo, &*  
*Scripturæ sacræ puritas periret, nunquam permisit divina providen-*  
*tia, cui soli in acceptis ferendum, quòd tot inter hæreses, persecu-*  
*tiones & hostes codicem Biblicum in hunc diem habemus integ-*  
*rum, omniq; ab humano & erroneo verbo purum. Altero*  
*autem modo quòd Verbum divinum possit humano & erroneo*  
*conjungi, testatur quotidiana experientia tanto proh dolor! cum*  
*Ecclesiæ danno, ut in dubium vocari aut negari non possit, nisi*  
*forsan ab eo, qui in Ecclesia Christiana peregrinus & hospes ejusq;*  
*calamitatum penitus ignarus est. Neque etiam appetat, quòd con-*  
*trarium Wagenerckius in suo aphr. VII. quòd lectorem remittit,*  
*vel ausus sit ostendere: quin ipse potius expressis verbis in nostram*  
*concedit sententiam, cum ibid. fatetur, hereticos dividere doctrinam*  
*Ecclæ Christi, ut aliqua recipient, alia rejiciant, & veris*  
*misceant falsa, idque dicit facere ipsos de facto, non de jure. Nam*  
*in religionis & fidei negotio veris falsa miscere, quid aliud est, quam*  
*verbo divino conjungere humanum & erroneum? Quis nescit*  
*autem, quòd quæ de facto aliquando conjunguntur, aliquatenus*  
*conjungi possint?*

LXXIX. Quod si vero dicat Wagenerckius, se non negare  
An Verbum simpliciter, Verbum divinum posse in prædicatione publica ullatenus conjungi verbo humano & erroneo, sed negare tantum  
Dei per falsa admixta sibi quod

quod ei sic conjungi possit, ut suam vim & efficaciam ad con- am amittat  
vertendos hominum animos retineat, seu ut maneat semen immor- efficaciam,  
tale, cuius virtute Ecclesia possit reddi secunda ad fidelium ge-  
nerationem, eorumque mater esse; tunc hoc ipsum quoque ne-  
gamus, quod proinde ipsi incumbet probandum. Id vero citato  
in aph. VII. ne verbo quidem tetigit, multo minus autem verum  
esse ostendit. In toto enim ejus discursu, qui ibi legitur, nihil  
extat, quod vel speciem probationis habere possit, nisi forte  
illud, quod dicit; Christi doctrinam esse inadvisibilem: si vel unum  
articulum diuersum ab altero, hunc probando, illum improbando, vel  
veris falsam misendo, non esse eam doctrinam Christi & vera Ecclesia.  
Quod quidem verum est, si intelligatur in sensu composito, hoc  
modo: totam doctrinam, vera simul & falsa complectentem, non  
esse Christi & vera Ecclesiae doctrinam; falso autem, si in  
sensu diviso sic intelligatur: doctrinam, quam veris miscentur falsa;  
ea parte, quam vera continet, non esse Christi & vera Ecclesiae  
doctrinam. Sicut enim falsa per hoc, quod veris admiscentur,  
non sunt Christi & vera Ecclesiae doctrina, ita vicissim vera per  
hoc, quod conjunguntur falsis, vel falsa iis admiscentur, non  
desinunt esse Christi & vera Ecclesiae doctrina. Nam falsorum  
admixtio, qua sit per prædicationem, est doctrinæ veræ, in scri-  
pturis laevis comprehensæ extrinseca, qua proinde illam intrin-  
sece mutare non potest, ut definit esse vera aut Christi & vera  
Ecclesiae doctrina. Unde nec efficacia ad immutandos & regene-  
randos hominum animos vera Christi doctrinæ per hoc admis-  
tur, quod in ejus prædicatione aliqua falsa cum ipsa conjunguntur,  
quamvis in hoc aut illo subiecto falsa, si admittantur, impedit  
possint, ne vera suam vim exercere & radices agere possint, quod  
ex accidente est, sicut contraria in aliis subiectis contingit, ut  
spiritus S. gratia acceptentur vera, & rejiciantur falsa, atque sic  
auditorum aures sint puriores, quam labia docentium, ut paulo  
ante fuit ostensum. Benè Gerhardus d. l. Quemadmodum semina Tom. V. p. 263.  
frugum crescunt & fructu salutarem proferunt, non obstante mixta-  
niorum mixturā: ita in quorundam cordibus per prædicationem  
Verbi spiritus S. ad conversionem efficax est, licet fermento pulvere  
& soribus anticristianarum superstitionum, traditionum & erro-  
rum sit permixtum.

*Ad arg.  
Wagn. resp.  
indirecte.*

*ss. XIV.*

*Ad 1. & 2.  
arg. resp. di-  
recte*

LXXX. Hactenus ergò lubricus fuit *Wagnereckius*, nec quicquam contra nos evicit. Neque est, quod à tribus, quæ ibid. subjunxit, & superius à nobis transcripta sunt, argumentis nobis metuannus. Minus enim in recessu illa habere, quam prima fronte pollicentur, facilè intelliget, qui secum expenderit, quod si recte evincant, *Ecclesiam*, qua non est omni ex parte & puncto vera & pura, non posse matrem fidelium esse; iisdem probandi mediis eademque consequentia lege *Catharorum* hæresis stabiliri & concludi possit, non posse *Ecclesiam Christi*; vel fidelium matrem esse, quæ non est ex omni parte & punto sancta & immaculata. Nam si *Ecclesia*, inter præstantissima *DEI* opera procul dubio numeranda, est perfecta; perfectum autem id est, cui nihil deficit in ipsis, ad quæ ordinatur, ut dicit *Wagnereck* in argumento primo; sequitur utique, quod Ecclesia vera nihil deficit in ipsis, ad quæ ordinatur. Atqui Ecclesia ordinatur ad sanctitatem, ut sit sancta & irreprehensibilis coram Deo in charitate, Eph. I. 4. ut sit gloria, non habens maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut esset sancta & irreprehensibilis c. V. 27. Ergo Ecclesia non est perfecta, nisi sit ex omni parte & punto sancta & absque omni nexo aut macula. Si enim vel tantillo peccato aut labore contaminata sit, deerit illi sanctitas tali peccato & macula opposita, cum tamen sine exceptione ordinetur ad sanctitatem. Non autem potest esse omni ex parte & puncto sancta & absque omni nexo aut macula, nisi confit ex solis sanctis & perfectis, qui nullum habent peccatum. Sed hæc est *Pelagianorum* & *Catharorum* hæresis, quam alias Pontificiis nobis per columniam affingunt, ut suprà vidimus, à se autem omnibus modis removere laborant. Aut ergò *Wagnereckio* descendendum est in eorum hæresin dudum damnatam, aut agnoscere cogetur, suum argumentum, nostræ sententiæ oppositum, esse infirmum. Idem sentiendum est de re liquis duobus ejus argumentis. Si enim in locum vocabuli pura substituas partículam sancta, habebis utrobiusque *Catharorum* hæresin probatam, quæ stabant dum illa suo stabunt talo.

LXXXI. Hæc licet fortasse ad præsens possint sufficere, tamen ut omnem eximamus scrupulum, propius accedemus ad objecta argumenta, de singulis, quid concludant, ostensuri. Ad primum igitur & secundum dicimus breviter, si quicquam, hoc ea probare: *Ecclesiam*, qua non est ex omni parte & punto vera & pura, non esse ex omni



omni parte & puncto bonam & perfectam; quod concedimus. Nam ea parte, quâ non est vera & pura, neque bona necq; perfecta est; immo ne Ecclesia quidem est cā parte, quâ non est vera. Quomodo autem, quod in quæstione est, inde inferri poterit, nempe eam simpliciter non posse fidelium Matrem esse? Num fortè *VVagnereckio* ita lubet argumentari: *Quia Ecclesia non est ex omni parte & puncto bona & perfecta, illa simpliciter non potest esse fidelium Mater.* Atqui Ecclesia, quæ non est ex omni parte & puncto vera & pura, non est ex omniparte & puncto bona & perfecta. Ergo Ecclesia, quæ non est ex omni parte & puncto vera & pura, simpliciter non potest esse fidelium mater? Sed quis non videt, majorem propositionem esse fassam, omnique destirui fundamento? Nec quicquam facient ad eam fulciendam, quæ in deductione arg. II. dissentit hisce verbis: *Non alia Ecclesia generat fideles, quam Ecclesia Christi, quæ autem parim falsa, parim vera, partim bona, partim mala fingitur, absolute mala est, non bona.* *VVagn. excusatio refellitur.*

Non autem est Ecclesia Christi, si mala est &c. Non potest igitur Mater esse fidelium illa Ecclesia, quæ non omni parte & puncto pura est & vera. Quæ, ut quarum virium sicut, manifestius evadat, in syllogismum reducemos, qui proveniet talis: *Quia Ecclesia non est Ecclesia Christi, illa non potest esse fidelium Mater.* Sed quia partim falsa parim vera, partim bona partim mala est, non est Ecclesia Christi. Ergo quia partim falsa, partim vera, partim bona, partim mala est, non potest esse Mater fidelium.

Ubi majorem propositionem ambiguam esse facile intelliger, qui hujus doctrinæ non planè rudis & ignarus est. Nam quando de aliquo cœtu dicitur, quòd non sit Ecclesia Christi, potest id intellegi, vel 1. simpliciter, quòd planè non, & nullè sū parte Christi Ecclesia sit; vel 2. secundum quid, quòd ex posteriori parte, quæ constat hypocritis & malis, falsasque doctrinas docet & propugnat, non sit Ecclesia Christi. Illo modo de Judæorū, Turcarum & pagânorum cœtibus dicitur, quòd non sint Ecclesia Christi; hoc v. g. de Ecclesia Pontifica idem rectè assertur, quippe quæ non est Ecclesia Christi cā parte, quâ Pontificia & meretrici Babylonica addicta est. Quod si igitur major propositio hoc posteriori accipiatur modo, ut sensus sit: *Quia Ecclesia non quidem simpliciter & secundum se totam, sed eā parte, quâ falsas doctrinas docet & propugnat, non est Ecclesia*

Ecclesia Christi, illa simpliciter non potest esse mater fidelium; tunc rursum petitur  $\tau^{\circ}$  c $\alpha$ p $\chi$ y. De hoc ipso enim jam controvertitur; annon fidelium mater esse possit talis Ecclesia, non quidem secundum eam partem, quâ falsa docet, & Christi Ecclesia non est, sed alterâ parte, quâ verè credentibus & sanctis constat, veranque Christi doctrinam amplectitur & docet, sicut per ministros impuros, qui inter docendum de suo adhissent, quæ Ecclesia non sunt? Si autem juxta priorem acceptiōnēm major sic intelligatur: Quæ planè non, & nullâ sui parte Ecclesia Christi est, illa non potest esse fidelium mater; verissima quidem illa, sed minor propositio falsa erit. Nam quæ partim falsa, partim vera, partim bona, partim mala est, illa non est nullâ sui parte Christi Ecclesia. Nam illâ parte, quâ vera & bona est, non potest eā non esse Christi-Ecclesia: alias enim ne eā quidem parte, quâ vera & bona est, vera & bona esset, nec de toto cœtu dici posset, quod partim falsa, partim vera, partim bona partim mala Ecclesia sit. Nulla enim datur vera & bona Ecclesia, præter Christi Ecclesiam, & quâ parte Ecclesia aliqua est vera & bona Ecclesia, eâ parte necesse est illam aut esse Christi Ecclesiam, aut non esse veram & bonam, quod posterius implicat contradictionem, prius autem continet id ipsum, quod nos aſterimus, & quod res ipsa loquitur. Quando enim in aliquo cœtu hypocritæ & mali, doctrinam Verbi adulterantes, eminent & dominanter, verè credentibus & sanctis oppressis, res ipsa loquitur, quod sicut hypocritæ & mali, qui falsam doctrinam amplectuntur & propugnant, non constituant Christi corpus, sed ad diaboli regnum pertinent; contra autem verè credentes & sancti, veram Christi doctrinam amplectentes, Christi membra sunt, ejusque corpus mysticum constituunt: ita illi non Christi Ecclesia sed diaboli synagoga; hi autem non diaboli synagoga, sed Christi vera Ecclesia sint, ut ut inter se exterius sint permixti, & hominum in conspectu illi emineant, huiusmodi. Ergo cum de cœtu, ex utrisque aggregato sermo est, is secundum sc̄ totum nec est, nec non est Christi Ecclesia, sed ex parte est; & ex parte non est. Est Ecclesia Christi eâ parte, quâ continet verè credentes & sanctos. Non est Ecclesia Christi alterâ parte, quâ continet hypocritas & malos, quamvis ab his tanquam majori & præponderante parte absoluēt. Ecclesia falsa dici soleat, ut inferius

ferius docebitur. Quod si verò hujusmodi cœtus eā parte, quā  
continet verē credentes & sanctos, est Ecclesia Christi, quid pro-  
hibet, quò minus, quoad candem partem possit esse fidelium Ma-  
ter?

LXXXII. At, inquit *VWagnereckius* d. l. p. 323. sicut doctri-  
na (publica) talis Ecclesia permixta est erroribus, ita quoque prædi-  
cationis semen corruptum est (quavis enim Ecclesia totam doctrinam  
transfundit in prædicationem & obseruantiam, ac utramque indis-  
tincte tradit ut veram) ut inde non possint generari, nisi heretici &  
errores.

*Nova Wag.  
objection.*

LXXXIII. Resp. concedendo, quòd cùm in Ecclesia falsi do-  
ctores & mali dominantur, prædicationis semen, h. e. semen, quod  
ipsorum prædicatione spargitur, ob admixtos errores sit corruptum.  
Quod autem non possint ex illo, non quidem quæ corrupto, sed qua-  
tenus adhuc semen DEI est, fideles generari, negatur. Neq; juvat mor-  
bidam adversarii causam, quod dicit: Eccleham transfundere totam  
(ex veris & falsis permixtam) doctrinam in prædicationem & ob-  
seruantiam, ac utramque indistincte tradere ut veram. Hoc enim  
sieri tūm solere, cùm publicum Ecclesiæ ministerium est corrupeum,  
nos haud inficiamur, quamvis id non faciat Ecclesia: nam falsa ad-  
mixta nou sunt Ecclesiæ; sed hypocitarum & malorum, in Ecclesia  
dominantium doctrina: sed falsi doctores, & quæ ipsis applaudit,  
errantium multitudine faciunt illud. Quod autem inde non possint nisi  
heretici & errores generari, falsum est, neque prius à nobis admitte-  
tur, quā ab adversariis fuerit probatum, quæ in prædicatione sunt  
conjuncta, seu per eam simul transfunduntur, ea in auditoribus sem-  
per operari conjunctim, simulque in iis suum fortiri effectum; vel  
falsa in virtute agendi semper & in omnibus subjectis prævalere, &  
impedire, ne unquam vera ad aliorum salutem se se exerceat pos-  
sint, contrà quā Scripturae sacræ docent, semen Verbi, quando cum  
que in bonum cordis agrum incidit, etiam media inter zizania  
crecere & edere fructum *Matth. XIII. 26.* &c in alio quidem pro-  
ferre centena, in alio verò sexagena, in alio verò tricena, *ibid. v. 8.*  
*23.* idem esse semen immortale, *I. Petr. I. 23.* potentiam DEI, *Rom.*  
*I. 16.* *I. Cor. I. 18.* Verbum vivum, efficax, & penetrans quovis  
gladio, *Ebr. IV. 12.* cui semper conjuncta sit gratia Spiritus Sancti,

G

*I. Cor.*



*Cor. II. 5. & E<sup>r</sup> 1<sup>o</sup>. I. 19. c. III. 7. I. Thess I. 5.* cuius aurā in cordibus fidelium per Verbum spirante, si quid falsi & erronei fuerit ad mixtum, i[n]star palearum dispelletur, vel virtute Verbi, quod est *tanquam ignis*, *ter* XXIII. 29. tandem ut stipulae consumetur.

*Ad III. arg.  
ref.*

LXXIV. Ad III. arg. respond. verum esse, quod *eterna sapientia Christus Architectus Ecclesiam suam adificaverit super petram*, & stabiliverit ut *columnam*, *Maremagnum fidelium constituerit*. Neque tamen id inde sequitur, quod *Vagnerockio* incumbebat probandum, nempe publicum Ecclesia ministerium non posse ullis implicari erroribus. Potest enim & hoc fieri, & simul illud esse verum, sine illa repugnantia, h. e. publicum Ecclesia ministerium potest aliquibus implicari erroribus, ut tamen Ecclesia ipsa sit & maneat *adificata super petram*, *stabilitate ut columnam*, & *constituta fidelium Mater*. Nulla enim inter duo h[ec] repugnantia intercedit. Nam errores, quibus implicatur ministerium publicum, non sunt ipsius Ecclesia, quae est verè credentium & sanctorum congregatio; sed, ut dictum, *hypocitarum & malorum*, aduersus eam grassantium doctrinam, neque etiam ad Ecclesiam pertinent, ejusve & Christi ministri sunt doctores falsi, nisi quatenus ipsius & Christi veram doctrinam tradunt, ciq[ue] conformiter Sacra[m]enta administrant. Quatenus autem falsas spargunt & propugnant doctrinas, sanctorum & verè credentes persequuntur, etenim hypocitarum & malorum, sub quibus latet & ingemiscit Ecclesia, & diaboli in illis agentes ministri sunt. Benè Humius de Ministerio in Papatu: *In papata ministra Pontificis mancipia Antichristi fuerunt in his, que erant Antichristi propria: quando vero baptizabant, textum Evangelij legabant, cumque convenienti explicatione inculcabant; Spiritus Sancti ordinationem ac publicum ministerium sustinuerunt.* Confer Ziemannum d. l. fol. 335.

*Diss. L. ib.  
153. Tom. V. op.  
col. 487.*

*Erustra pra-  
renditur pa-  
radoxum.*

LXXXV. Neque in paradoxis habendum est, aut existimandum, in Christum autorem & architectum Ecclesiae quicquam redundare imperfectionis, si id dicamus fieri posse, quod re ipsa factum esse, & præteriorum seculorum & nostra ætatis historiæ abunde testantur, hodieque multo cum dolore fieri cernimus, nempe Ecclesia à Christo adificata doctrinam publicam miseri quandoque falsis doctrinis. Nam falsa admixta non sunt à Christo architecto,



chitecto, sed à diabolo. Sicut ergò nec paradoxum, nec in æternam sapientiam injuriosum est, quod Christus, regni celorum seu Ecclesiae autor & architectus semetipsum comparat homini ferenti bonum semen in agro suo, cuius inimicus, dormientibus hominibus, venerit & feminaverit zizania inter triticum, Matth. XIII. 24, 25. ita nec præter communem hominum opinionem aut in Christum Ecclesiæ architectum injuriosum quicquam dicit, qui eundem dicit ædificasse quidem Ecclesiam puram, eique dedisse doctrinam Verbi, absque omni falsitate veram: inimicum autem illius, h. e. diabolum admisisse publice ejus prædicationi per falsos doctores zizaniorum semina & falsa, ut tamen triticum media inter zizania, hoc est, Christi doctrina medios inter sedentes & seductos in rectè credentibus conservetur, & semper maneat in orbe terrarum Ecclesia, utcunque pressa, quæ eam puro amplectatur corde, & ad posteros transmittat intemerata.

LXXXVI. Ex quibus manifestum est, quæ à Wagnerockio hactenus allata sunt, infirma esse omnia, & arenosis niti fundamenti; contrà autem adhuc stare invictum, quod superius docuimus, externam Ecclesiæ faciem, etiam ratione doctrinæ publicæ, non semper esse eandem, sed modò meliorem, modò deteriorem, prout hypocrita & mali admixti in doctrinâ fidei magis minusve implicati sunt erroribus, & auctoritate viribusq; in Ecclesia magis vel minus valent. Et quia Ecclesia, quæ est verè credentium & sanctorum congregatio, non statim definit esse, cum hypocrita & malis in illa dominantur, ejusque doctrinam publicam adulterant, sed DEI gratiâ sub impuro quoque ministerio conservari potest & conservari solet; hinc usus loquendi obtinuit, ut hujusmodi etiam cœtibus; in quibus publica doctrinæ prædicatio non per omnia pura & incorrupta est, Ecclesia nomen tribuat, non quod doctores falsi & erroneæ doctrinæ sectatores sint Ecclesia: hi enim secundum se & seorsim considerati non sunt Ecclesia, sed Satana synagoga; sed propter verè credentes & sanctos, qui in illis comprehensi veram Christianæ fidei doctrinam, DEI gratiâ, amplectuntur sincerè & absque erroribus, vel saltem absque erroribus gravioribus, quibus fidei fundamentum labefactatur. Dicuntur itaque Ecclesia per eandem intelligentis figuram, quam



n. LXXVII. superius diximus, nempè per *synecdochen*, quâ tribuitur toti, quod tantum convenit ejus parti, non quidem majori, sed nobiliori & ob internam fidem, qua Ecclesia est, præstantiori. Ita B. Lutherus, loco Tom. V. Vi-  
teb. Lat. fol. suprà citato, cùm de *Galatarum Ecclesiis*, per Pseudo Apostolos &  
278. seductores miserum in modum deformatis dixisset, eas per *synec-  
dochen* dici *Ecclesiæ à Paulo*, subjugit statim de *Ecclesia Roma-  
na*, quod eodem sensu dicatur *sancta*: *Sic, inquiens, & nos hodie  
vocamus Ecclesiam Romanam sanctam, & omnes Episcopatus san-  
ctos, etiam si sint subversi & Episcopi & ministri eorum impii. Deus  
enim regnat in medio inimicorum suorum.* Item, *Antichristus sedet  
in templo DEI*. Et, *Satan adest in medio filiorum DEI*. Ideo Ec-  
clesia, etiam si sit in medio nationis prava & perverse, ut Paulus ad  
*Philipenses* ait, etiam si sit in medio luporum & latronum, b. e. ty-  
rannorum spiritualium, nihilominus Ecclesia est. Quæ non possunt  
aliter accipi, quam per *synecdochen*, quâ Romana Ecclesia tri-  
buitur, quod convenit solis verè credentibus & sanctis, qui ia-  
ea continentur. Nam quod ipse *Papatus*, qui in Ecclesia Roma-  
na dominatur, non sit Ecclesia Christi, sed antichristi Regnum,  
B. Lutheru fuit extra omnem dubitationem positum, & ab ipso  
hic locetiam subiungitur, cùm dicit: *& Episcopos & ministros  
eorum esse subversi; Antichristum sedere in templo DEI; & Ec-  
clesiam esse in medio nationis prava & perverse, in medio luporum  
& latronum, b. e. tyrannorum spiritualium.*

Eundem in sensu scribit Gerhardus Tom. V. de Eccl. p. 945.  
Proinde *cœtus Christianorum* propter illam Papæ dominationem ac  
tyrannidem, ac propter corruptelas, publico ministerio inveniatis non  
desit vocari & esse Ecclesia, sed erat ac dicebatur civitas dilecta,  
& castra sanctorum, Apoc. 20. v. 9. ac populus sanctus, Dan. 7.  
v. 21. videlicet *SYNECDOCHICA* appellatione, propter fideles &  
electos, in eo adhuc residuos, sicut olim populus Iudaicus etiam in  
corruptissimo Ecclesia statu dicebatur populus DEI, scilicet denomina-  
tione à parte, non quidem majore, sed meliore, ac Hierosolyma  
dicebatur sancta, Math. 4. v. 5. propter electos in eareliquo. Et  
D. Aegidius Hunnius Disp. Theol. LI. de Malis & hypocritis ih.  
16. Romana, inquit, Ecclesia dicitur templum DEI, *SYNECDO-  
CHICA* illa locutione, quam suprà explicavimus, nempe quatenus  
sub

Tom. V. op.  
Lat. col. 487.

*sub Ecclesia Romana est verum Dei templum, hoc est, vera & invisi-  
bilis Ecclesia. Dicitur igitur Romana Ecclesia Dei templum, non  
quatenus Romana est, aut quatenus constat ex Pontifice, Episcopis &  
clericis, sed quatenus sunt in ea adhuc aliqui, qui non sunt fornicati  
cum illa meretrice Babylonica. Hisce adstipulatur D Leonhardus  
Hutterus in Disp. Theol. XIII. de Ecc. th. 30. cujus hæc sunt verba :  
Romana Ecclesia Dei templum ab Apostolo nominatur, non quatenus  
est Romana, aut constat ex Pontifice, Episcopis & Cleris, sed SYNEC-  
DOCHIC A locutione , quatenus nimurum sub Ecclesia Romana est  
verum Dei templum, reliqua illa vera invisiibilis Ecclesia, qua non sunt  
fornicata cum meretrice illa Babylonica. Confer eundem super  
Aug. Confess. Disp. XIV. th. C. & seqq. Zeemannum d. l. fol. 230. 352.  
& atios.*

LXXXVII. Quibus observatis prudens lector facilè intelliget. *Lutherani*  
quas nugas agant adversarii, qui κατ' αἰδεῖσσον contra nos argu- non defece-  
mentaturi ita inferunt : Ecclesia Romana, juxta Lutheranos, est tem- rum ab Ec-  
plum seu Ecclesia Dei. Ergo Lutherani defecerunt à templo seu Eccle- clesia.  
sia Dei. Nam Romana Ecclesia non est propriè templum Dei, sed, ut dictum, per synecdochen sic dicitur propter verè credentes & san-  
ctos, qui in ea sunt & Ecclesiam constituant. A verè credentibus autem, qui in Papatu sunt, non defecerunt Lutherani, sed tantum  
à Papatu, quā tali. Papatus autem non est templum Dei, licet sit  
& dominetur in illo, perinde ut in acervo tritico, qui non  
dum ventilabro purgatus est à paleis, paleæ licet in illo sint, triticum  
tamen non sunt. Neque sequitur : acervus tritici, in quo sunt  
paleæ, dicitur triticum. Ergo paleæ sunt triticum. Ita in presen-  
tia non sequitur : Ecclesia Romana, in qua est Papatus, dicitur tem-  
plum Dei. Ergo Papatus est icti plu m Dei. Hæc si non intelligast,  
qui ita colligunt, supinā ignorantia laborant; si intelligant, malitiosi sophistæ sunt, & fallaciam à dicto secundum quid ad dictum sim-  
pliciter, ut dialectici loqui amant, committentes pessimum in mo-  
dum ludunt, nobisque illudunt.

LXXXIX. Cæterum licet Ecclesia sub impuro & corrupto mi-  
nisterio existens, non desinat esse Ecclesia, tamen quia ejus facies  
externa ob impuram & corruptam Verbi prædicationem miserè de-  
formata, & à genuina ejus facie, quam alias per se habet, cum extra

*Ecclesia vera  
& falsa quæ  
dicatur.*

G 3 per-



persecutionis casum constituta nullisq; onerata conspicitur doctrinæ peregrinis, diversissima est: idè cœtus illos, quorum ministerium impurum est, autores differentiæ causâ dicere solent cum apposito *Ecclesiæ FALSAS*, sicut contrâ *VERAS Ecclesiæ* dicunt eos, quorum publica doctrinæ prædictio ab erroribus pura & incorrupta est, quamvis alias neutra appellatio suâ careat ambiguitate. Dicitur enim & *VERA & FALSA Ecclesia* dupli in significatu. Et quia, quæ hâc latet, & equivocatio facile imponere potest imperitis; Sophistæ autem éadem ut aleatores tesseris ludere solent, in gratiam studiosæ juventutis, at à sophistarum strophis sibi cavere, & in Theologorum hac de re diversimodè loquentium scriptis inoffensio pede progrexi discat, eara hic accuratiū discutiendam ducimus.

*Verum & fal-  
sum quid no-  
rent.*

LXXXIX. Sciendum igitur, quid verum & falso propriè loquendo tantum locum habeant in compositione & divisione, h. e. in integris propositionibus, quibus aliquid de quoipam affirmatur vel negatur; minus autem convenienter terminis incomplexis vel rebus ipsis, docente *Aristotele III. de Animo* r. *XXI.* item *VI. Metaph. c. II. & IX. Metaph. c. XII.* Et quando terminis incomplexis vel rebus ipsis tribuitur verum vel falso, tunc verum nihil superad dicitur, sicut nec falso non enti, præter relationem rationis, quæ ad nostram cognitionem referuntur, & res vera dicitur, quæ talis est, qualis nobis appetit esse & à nobis cognoscitur; falsa, quæ appetit & cognoscitur esse, quod non est: v. g. cum dico, verum aurum, quoad rem nihil dico, præter aurum, & relationem ejus ad potentiam cognoscemtem, cui appetit esse, quod est. ut ita dicitur verum aurum, quia non solum tale nobis appetit, sed etiam re ipsa est, quod esse appetit & cognoscitur, vel quia aptum est terminare veram sui cognitionem. Contrâ cùm dico: falso aurum, nihil dico præter non aurum, & dicitur res aliqua falso aurum, quia in ordine ad nostram cognitionem se habet ut aurum, seu appetit nobis aurum esse, cùm non sit, vel quia aptum est terminare falso sui cognitionem, ut loquuntur Metaphysici: intellige falso sui cognitionem, quæ cognoscitur esse aurum, cùm non sit. Quæ si ad Ecclesiam accommodentur, vox vera Ecclesiæ, cui additur, itidem nihil superad dicitur, præter relationem rationis, quæ ad potentiam cognoscendi comparata Ecclesia dicitur vera, quia re ipsa est.



est, quod potentia cognoscendi esse apparet & esse cognoscitur: vox  
falsa autem, cum Ecclesiam falsam dico, superadde vocabulo Eccle-  
sia oppositam relationem, quā ad potentiam cognoscendi compara-  
tus aliquis ceterus dicitur Ecclesia falsa, quia re ipsa non est, quod  
potentia cognoscendi esse apparet, seu quia apparet esse Ecclesia;  
tunc tamen Ecclesia est. Ex parte rei igitur & intrinsecè Ecclesia  
vera nihil importat præter Ecclesiam: nec Ecclesia falsa involvit quic-  
quam, præter non-Ecclesiam. Extrinsecè autem Ecclesia vera præ-  
ter Ecclesiam connotat ejus conformitatem eum cognitione; falsa  
autem præter non-Ecclesiam connotat negationem conformitatis  
cum cognitione, seu disconvenientiam rei, quæ Ecclesia non est, ad  
potentiam cognoscendam, cui Ecclesia esse apparet.

X C. Deinde dicitur quandoque etiam res falsa, non quæ Alia veri. &  
planè non est, quod videtur esse, sed quæ falsata seu corrupta sit, falsi significatio.  
seu quælicet sit, quod videtur esse, tamen aliquid falsi habet admix-  
tum: quomodo forsitan falso aurum dici potest, quod admixto  
eupro est falsatum: contrà autem res vera dic i potest, quæ purè ta-  
lis est, qualis apparet, nec quicquam alieni seu falsi habet admixtum:  
quomodo verum aurum idem erit, quod purum aurum. Atque  
hoc sensu Ecclesia falsa idem est, quod Ecclesia falsata, quæ licet  
Ecclesia sit, non tamen merè talis seu pura est; & contrà vera Ecclesia  
idem est, quod Ecclesia pura:

XCI. Licet verò Ecclesia, quamdiu hinc in terris sub Christi  
vexillo militar, ut suprà vidimus, semper permixta sit hypocritis &  
malis, qui Ecclesia non sunt, atque sic nunquam ab omni, quod  
non est Ecclesia, pura existat, ut si Ecclesia hoc posteriori signifi-  
catur vera dici debeat, quæ nihil falsi seu alieni habet admixtum,  
omnis Ecclesia militans dicenda esset FALSA; nulla VERA: ex usu  
loquendi tamen specialiter illa tantum dici consuevit Ecclesia  
FALSA, i.e. falsata, cujus potior pars constat hypocritis & malis,  
qui Ecclesia non sunt; & contrà VERA Ecclesia dicitur, non  
quæ nihil falsi habet admixtum, sed cuius potior pars constat verè  
credentibus & sanctis, qui Ecclesiam constituent. Utraq enim, Mylius in  
non à toto, sed à potiori appellationem istam fortit. Nam ut Ec- Aug. Conf.  
clesia piorum nunquam ita pura est, quin mixti sint & impuri ali- art. VII p.  
qui & de veritate Evangelii male vel nihil omnino citam sentientes, 122. b.  
propter

Ecclesia unde  
dicatur falsa  
i.e. falsata.



properter quos tamen major pars credentium Ecclesia vera nomen non  
armitit: ita falsa Ecclesia, si Verbum Dei atq; usum Sacramentorum  
saltet aliquem retineat, nullius tanta est depravatio, quin semper  
aliquid vera Ecclesia proprium iste lateat. Verba sunt B. Myli,  
quibus insimul declarat, quænam pars habenda sit pro potiori,  
nempe quæ major est. Eum sequitur Hutterus Disp. XIV. in art.  
VII. Aug. Conf. th. XXXI. Vera, inquiens, Ecclesia semper malos &  
hypocrita habet admixtos: sed respectu cœtus verè fidelium, pacio-  
res: Falsa contrà, pios etiam & verè electos suo ambitu continet;  
sed errantium & hypocitarum multo plures. Unde urique sua  
denominatio non à toto, sed à potiori competit.

Oda potior  
pars.

XCII. Sanè in aliis rebus plerunque ita contingit, ut quæ  
absolutè dicuntur vera vel falsa, à majori partē sic denominantur,  
sicut v. g. massa argentea, cuius saltē decima tertia vel adhuc  
minor aliqua pars constat cupro admixto, absolutè dicitur  
verum argentinum; cùm autem plus cupri, quām argenti continet  
massa, dicitur ea absolutè falso, i. e. fallatum argentinum. De  
Ecclesia autem num hoc perinde & per omnia procedat, forte  
non temere quis dubitaverit. Licet enim de iis, quas falsas, i. e.  
falsatas dicimus Ecclesias, non negaverim, hypocritas & malos  
in iis dari plures, quām verè credentes & sanctos, easque dici fal-  
sas Ecclesias à parte majori, vix tamē appetet, qui de aliis cœ-  
tibus, quos veras appellamus Ecclesias, perinde possit pro certo  
affirmari, majorem in illis partem semper constitutere verè credentes  
& sanctos. Præterquām enim, quod quinam verè credentes & sancti;  
& qui hypocrita sint, soli illi distinctè notum est, qui corda &  
renes scrutatur, nihil etiam impedit, quod minus in tales quoque  
vocatorum cœtus quandoq; cadat illud Christi: Multi sunt vocati;  
sed pauci electi, Matth. XX. 16. c. XXII. 14. Unde forsitan magis  
congruè dicitur, in potiori parte hoc loco habendos esse illos, qui  
in Ecclesia cœtu eâ sunt auctoritate aut viribus, ut publicum  
Verbi Sacramentorumque ministerium per omnia sibi habeant  
addictum. Per illud enim, ut suprà vidimus, Ecclesia est plantata;  
per idem Christus tanquam Ecclesiae caput præbet suum in mem-  
bra influxum, & vitam motumque ipsis impertit; & per id ipsum  
etiam generat Ecclesia filios suos, & constituitur fidelium Mater.

Hinc



Hinc si verè credentes & sancti ita emineant in vocatorum promiscuo cœtu, ut ministerium publicum suæ fidei conformiter consti-  
tuere; & quam interius sincerè amplectuntur & credunt, doctrinam Christi per illud sincerè docere possint, nihil quicquam obstan-  
tibus hypocritis & malis admixtis; rete illi estimabuntur potior.  
Ecclesiæ pars, à qua vocatorum cœtus, in quo sunt, absolute deno-  
minetur Ecclesia vera, ut ut forsitan numero plures in eo contineantur  
hypocritæ, qui in facie gloriantur & non in corde, ut Paulus loquitur  
*II. Cor. V. 12.* Si vero hypocrita & mali, falsis doctrinæ addicti ita  
emineant, ut oppressi verè credentibus & sanctis ministerium Ver-  
bi & Sacramentorum impuris committere ausint & committant  
doctrinæ, tunc illi potior censebuntur pars, à qua cœtus talis ab-  
solutè denominetur falsa, i.e. falsata Ecclesia, si vel maximè hîc  
etiam contingenter, ut major sit numerus verè credentium & sancto-  
rum, qui in eo oppressi latent, quàm ilorum, qui in illo do-  
minantur. Nam ratio cognoscendi, utra pars in Ecclesiæ cœtu e-  
mineat, non est attendenda penes numerum personarum, qui no-  
bis non est satis perspectus, sed, ut dictum, penes ministerium Ver-  
bi & Sacramentorum, per quod Ecclesia, quæ sua fides sit, publicè  
proficitur. Quod si purum sit, & Verbum Dei doceat sincerè &  
sine corruptelis, nec non Sacraenta rete administret, dubium non  
est, quin verè credentes & sancti in cœtu illo prævaleant, quippe  
quorum propria est, quæ per illud doceatur, doctrina publica. Sin  
impure & cum erroribus, fidei doctrinam adulterantibus Verbum  
Dei doceat, aut Sacraenta non per omnia rete administret,  
certo id indicio est, potiorem & auctoritate vel viribus præponde-  
rantem partem esse hypocritas & malos. Verè credentes enim,  
nisi essent ab hisce oppressi, corruptelas illas, publicæ doctri-  
nae admixtas nunquam essent toleraturi. Videantur, quæ su-  
periùs hac de re differimus n. LIV. & seq. nec non n. LXXI.

XCIII. Atque hæc de diversis veræ & falsæ Ecclesiæ acceptio-  
nibus. Quod si eas inter se conferas, apparebit, non perinde esse, inter dupli-  
hoc an illo modo loquaris. Fieri enim potest, ut quam dicas Ec-  
clesiam falsam; alter veram dicat Ecclesiam, uterque quidem rete,  
sed alio atque alio significatu. Nam in posteriori significatu Eccle-  
sia falsa dicitur, non quæ nulla, sed quæ non pura est Ecclesia. Jux-  
ta

ta priorem verò significationem *falsa* dicenda est, non quæ *impura*, sed quæ *nulla* Ecclesia est. Quæ autem adhuc est Ecclesia, licet impura, juxta priorem acceptiōnem *vera* dicitur Ecclesia. Eadem ergò Ecclesia, quæ non est *vera*, sed *falsa* Ecclesia, juxta posteriorem; non est *falsa*, sed *vera* Ecclesia juxta priorem acceptiōnem.

*Gerhardi sententia.*

XCIV. Diversas haec vera & falsæ Ecclesiæ acceptio[n]es.

B. Gerhardus in Conf. Cathol. lib. II. art. V. c. IV. breviter hunc proponit in modum: *Vera Ecclesia* opponitur *falsa* vel *contradicitoria*; i. e. *non-Ecclesia*, vel *privativa*; i. e. *non orthodoxa Ecclesia*. Posteriorē significatio[n]e, dicit, *Ecclesiam apostolice partialis ream*, h. e. quæ à vera fide & religione ex parte defecit, qualis v. g. Pontificia est, *non esse veram Ecclesiam propero præparationem religionis*, sed *esse falsam*, hoc est, *vitiatam & impuram Ecclesiam*. Ubi clarum, quod *falsa Ecclesia* ipsi idem sit, quod *falsata*, *vitiata*, *impura Ecclesia*; & vi oppositionis *vera Ecclesia* hoc significatu nihil aliud esse potest, quām *Ecclesia non falsata*, vel ab erroribus pura. Prioris autem oppositionis respectu, dicit, concedendum esse, quod *Ecclesia partialis apostolice rea*, h. e. quæ ex parte tantum à veritate fidei & religionis Christianæ defecit, sit *vera Ecclesia*, hoc est, *adhuc sit Ecclesia*, licet *impura & falsata*. Quod probat dupli fundamento: I. Quia talis Ecclesia retinet baptismum tanquam sacramentum initiationis, per quod Deo quotidie nascuntur filii & corpori Christi mystico inseruntur. Hoc autem ubi sit, ibi Christus adhuc habet Ecclesiam, ut ut falsatam & impuram. II. Quia Verbum Dei in conventibus suis per ministerium publicè prælegit & tractat. Licet verò Verbi præcones non per omnia rectè id explicent, sed multas falsas glossas & corruptelas in ejus prædicatione admisceant, hoc tamen non obstante, medium adhuc præstò est, per quod Spiritus S. in adultis quoque veram fidem excitet, foveat, conservet. Ubi autem in adultis quoque fides per Verbum Dei à Spiritu S. accenditur, ibi necesse est esse aliquam Christi Ecclesiam. Quæ etiam B. Lutheri sententia est, qui loco jam ante citato de Galatis dicit, quod, licet fuerint subversi, tamen Ecclesia fuerint, propterea quod *apud eos manerit baptismus, Verbum & nomen Christi &c. & aliqui inter eos boni fuerint, qui non desicerint à Pauli doctrina*. Et paulò post: *Quare, inquit, Ecclesia sancta est, etiam ubi fanatici Spiritus regnant,*



gnant, modo ipsi non negent Verbum & Sacramenta. Nam si illa  
negantur, non potest esse Ecclesia. Quare ubicunque Verbum & Sa-  
cramenta substantialiter manent, ibi est sancta Ecclesia, non obstante,  
quod Antichristus ibi regnat &c. & B. Hunnius in Loco de Eccles. Tom. I. op.  
docet, Ecclesiam catholicam se extendere longe latèque, qm. in col. 2268.  
longe patet legitimè baptizatorum cœtus. Sicut enim, utor verbis ipsius,  
extra cœtum vocatorum non querendi sunt electi: sic extra cœtum  
baptizatorum non querenda Ecclesia Catholica. Rursum ubicunque  
vocatio Dei sonat, ibi aliqui electi sunt. (siquidem Verbum Dei nur-  
quam reddit vacuum Esa. 55.) sic quoque ubicunque verus baptismus  
(qui pars est vocationis) substantialiter ratione viget integer, ibi certo ali-  
qua est Ecclesia, qua sub complexu & in gremio quasi matris catholi-  
ca continetur. Ita etiam alii.

XCV. Eodem redit Gerhardi distinctio inter Ecclesiam simpliciter  
& absolute dictam, & inter Ecclesiam puram & incorruptam, quam  
in doctrina de notis Ecclesia inculcat. Vocab autem Ecclesiam abso- Tom. V. p.  
lute & simpliciter, quam in Confess. Cath. d.l. dixerat veram Eccle- 837. p. 842.  
siam, falsa contradictione oppositam. Hoc significatu enim abs-  
trahit Ecclesia vera & pura & impura, & de utraque dici potest,  
quod sit Ecclesia vera, h. e. quod non sit non-Ecclesia. Puram ve-  
rò & incorruptam vocat, quam ibid. dixerat Ecclesiam veram in  
altero significatu, nempe prout vera Ecclesia falsa opponitur pri-  
vative. Eandem distinctionem præmittit Zeemannus d.l. fol. 266.  
doctrina de notis Ecclesie, verbis tamen non nihil diversis. Ejus  
mens redit hoc: Ecclesiam veram dici vel absolute (prout abstra-  
hit ab Ecclesia pura & impura) vel compareat in comparatione ad  
Ecclesias heterodoxas & impuras. Priori modo posse illam quoque  
dici Ecclesiam veram, cuius ministerium non est per omnia purum  
& incorruptum; posteriori autem solam eam, cuius ministerium  
purum & incorruptum est. Verba ipsius sunt hæc: Allhic isti zu-  
forderst wohl in acht zunehmen/das ABSOLUTE LOQUENDO  
der Wahren Kirchen einig/wahrhaftig / eigen und we-  
sendlich Kennzeichen sey das geöffnbarste und dem  
menschlichen Geschlechte mitgetheilte Wort Gottes/dar-  
durch Gott seinen Beruff zum Himmelreich ( auch an  
denen Orten/da daß öffentliche Predigamt nicht aller-  
dings

Dings rein ist) verrichtet. Daß wo eine wahre Kirche ist  
(ungeacht dieselbe / so viel die eüsserliche Form oder den  
öffentlichen Gottes-Dienst betrifft/ nicht allerdings rein  
und unverfälschte ) da muß auch Gottes geoffenbahrte  
Wort seyn/ und hinwider. Wenn aber von der sichtbaren  
Kirchen nicht absolute, sondern comparatē geredet wird/  
und man dīs eine WARE sichtbare particular Kirchen  
nennet/ welche ihrer eüsserlichen Gestalt / oder dem of-  
fendlichen Ministerio nach in allerdings reinem unver-  
fälschtem Zustand ist/ und also vielgemeldt Wort Gottes  
respectu publicarum actionum betrachtet/ und gefragt  
wird/ durch was Kennzeichen ein solche reine Kirch von  
den unreinen unterschieden werde/ oder welches eine reine  
unverfälschte/ und hinwieder w. sches ein unreine Kirch  
sey/ als dann wird recht geantwortet/das zwey unschlägbarer  
Kennzeichen einer solchen WAREN/ das ist/ reinen  
unverfälschten Kirchen seyn/nemlich die reine Predigt  
des Worts Gottes/ und rechter Gebrauch der Sacra-  
menten.

Mylt. dississ.  
8to.  
p. 131. b.

XCVI. D. Georgius Mylius d. I. similem in modum distingvit  
inter Ecclesiam simpliciter dictam, & Ecclesiam veram. Ecclesiam  
simpliciter, inquit, quemadmodum facit, ita monstrat etiam solus  
verbi & Sacramentorum usus; & sic quidem monstrat, ut quarevis  
falsa sit Ecclesia, aliquos tamen in eo ceterū electos esse, minime du-  
bitandum sit. Ad veritatem Ecclesia probandam majus aliquid re-  
quiritur. Ipsum sequuntur Hutterius d. l. th. XIX. & th. XXVI. seq.  
Jacobus Martini Collig. III. in Aug. Conf. Diff. XIII. th. XVI.  
& alii, qui omnes Ecclesiam veram accipiunt in altero significatu,  
pro Ecclesia pura; falsam verò pro viriata seu corruptelis doctri-  
ne publicæ admixtis falsata. Ecclesiam verò simpliciter dicunt,  
qua abstrahit à pura & impura, & Ecclesia vera dici potest si-  
gnificatu priori, quo Ecclesia vera dicebatur quælibet, qua ad-  
huc est aliqua Ecclesia, nec tantum videtur esse, seu qua non est

nulla



nulla planè Ecclesia. Quod evincunt clara Mylii verba, ibid. dicitur p. 121. a.  
centis: Verbum habere & sacramenta Ecclesiam quidem facit; sed  
non veram facit Ecclesiam, & ab infidelium cœtu gregem fidelium  
distinguit. Potest enim falsa esse Ecclesia, & corrupta Verbi & Sacra-  
mentorum sic appellata; que tamen bonus habeat. Evangelium, &  
vera habeat. Sacramenta. Bonum autem Verbum & vera Sacra-  
menta non recte tractat, nisi vera Ecclesia. Et rursus: falsa, inquit, p. 122. b.  
Ecclesia si Verbum DEI atque usum Sacramentorum sicutem aliquem  
retineat (his enim amissis NON FALSA, sed NULLA appel-  
landa foret) nullius tanta est depravatio aut corruptio, quin semper  
aliquid vere Ecclesie proprium isto lateat. Quod si ergo ad Ecclesiam  
veram requiritur, ut in ea Evangelium doceatur recte, & Sacra-  
menta recte administrantur, & in hoc distinguitur a falsa Eccle-  
sia, quod hæc quidem facit idem, sed non recte, sequitur uniuersus  
quod Ecclesia vera idem sit, quod Ecclesia pura & incorrupta;  
falsa autem idem, quod Ecclesia impura & corrupta. Rursus si  
Ecclesia falsa non est nulla Ecclesia, ut citata verba habent, ne-  
cessitatem est, eam esse aliquam Ecclesiam. Nam aliqua & nulla Eccle-  
sia opponuntur inter se contradictoriæ, inter quæ nullum dari  
potest tertium. Si autem est aliqua Ecclesia, tunc non tantum  
apparet esse, sed re ipsâ etiam est Ecclesia, & sic est vera Ecclesia,  
juxta priorem significationem, paulò ante declaratam. Quodlibet  
enim, quod non tantum apparet esse, sed re ipsâ est, verum est.

XCVII. Atque hæc ambiguitas in causa est, cur sapienti numero  
Theologi loquantur diversimodè, & quam hic dicit falsam Eccle-  
siam, alter veram appelleret, sed impuram, & contraria: qui tamen  
in re nihil quicquam dissentiant, sed iisdem tantum vocibus, oc-  
casione sic ferente, in diversa utuntur significacione. Et quidem  
de Mylio, Huttero, & Jacobo Martini, Viris de Ecclesia Christi  
meritissimis, jam vidimus, quod absolute & simpliciter dicant  
Ecclesiam veram, quæ pura & incorrupta est; falsam autem, quæ  
impura & doctrina corruptelis falsata est. Quem modum loquendi  
sequuntur alias Theologi communiter. Nonnulli tamen pro re-  
nata distinguunt inter Ecclesiam VERAM & PURAM, & VE-  
RAM dicunt, quæcumque non planè nulla est Ecclesia, seu in qua-  
cumque per baptismum & Verbum DEO filii nascuntur, sive ab

Diversa for-  
mula loquendis.



p. 221.

erroribus pura sit, sive minus. Ita inter alios loquitur Graverus, cùm Tom. I. Disp. Anti Jesuit. Disp. II. th. XI. monet, diligenter distingui debere inter ea, quae pertainent ad essentiam Ecclesie, & ea, sine quibus VERA Ecclesia ut VERA Ecclesia esse potest: differunt enim Ecclesia etiam VERA; & Ecclesia quoad externam formam & dispositionem accidentalem per omnia PURA. Et Disp. III. th. XXXVIII. Potest etiam VERA Ecclesia esse & manere, licet quoad externum ministerium Verbi non sit per omnia incorrupta & pura: aliud igitur est querere de notis Ecclesia VERA, aliud vero de notis Ecclesia, per omnes partes integræ & incorruptæ. Et Hannius citatā Disp. L. cùm th. 154. docuit, Antichristum sessurum in templo DEI, id est, gubernationem & administrationem Ecclesie occupaturum; subjungit th. seq. hæc verba: Ex quo efficitur, non semper habere purum ministerium VERA Ecclesiam, aut similiens conformitatem perpetuam. Et th. 220. Tam, inquit, latè se diffundit Ecclesia VERA, quam late se extendit legitimè baptizatorum cœtus: Et ubique baptismus in suis substantialibus integer administratur, necesse est, ut concedatur, ibi esse Ecclesiam.

c. III. a. III.

p. 80.

p. 81.

p. 83.

Dn. D. Melchior Nicolai in Umbella Somnio Foreriano ait: Ecclesia etiam Judaica, cùm variâ & fœdissimâ idolatriâ contaminatissima esset, propter concredita sibi divina oracula VERA & visibilis Ecclesia fuit, ad quam infideles confugere, verbum veritatis ab ea percipere & subintroductam idolatriam arguere debuerunt &c. Et paulo post: In una visibili Ecclesia sunt, qui impias furorum idolatrâcorum & subintroductarum perditionis sectarum novitates amplectantur; & qui iisdem ingemiscunt. Respectu priorum non dicitur Ecclesia visibilis VERA, sed respectu posteriorum. Et paucis interjectis: Cum ergo cum iis conjunctissimus, propter quos vestra Ecclesia VERA Ecclesia audit, non constitutissima Ecclesiam novam, novum corpus Christi, sed antiquitas constituto adherramus. Et ibid. a. IV. Heretica, ait, Ecclesia, ut talis, quatenus est cultuveries veritati, etiam post admonitionem, resistentium, verum Domini corpus dici non potest. Quatenus autem includit, in sensu simplicitatis sue ambulantes, & profunda Satane non capientes, aut iisdem, si capiunt, ingemiscentes, VERA Ecclesia propter ista frumenta manet.

XCIIX.

**XCIIX.** Ita igitur illi inter alios loquuntur, non quidem temeritate *Causa diversa*, aliqua, vel, ut forsitan imperitus quis existimaverit, novitatis studio *sicutatis*. ducti, sed re ipsa sic exigente. Et *Hannio* quidem, ut ita loqueretur, & pro iisdem acciperet *Ecclesiam* atque *Ecclesiam VERAM*, ansam præbuit Pontificiorum tristissima objectio hæc : Sianto Lutherum per tot secula Ecclesia Romana fuit erroribus gravissimis implicata, sequitur, nullam tunc Ecclesiam veram in terris fuisse reliquam, &c. Cui iturus obviam bene vidit, ante omnia sibi probandum incumbere, quod Ecclesia, cum erroribus implicatur, non statim definit esse, sed quamdiu retinet Verbum Dei & baptismum, sit & maneat Ecclesia, & quidem Ecclesia, quæ non nomine solum, ut cavillantur adversarii, sed ipsa re Ecclesia atque sic *VERA Ecclesia* sit, prout Ecclesia *VERA* dicitur, quæcumque reipsa non est nulla Ecclesia. Quam rationem adhibita à se loquendi formulæ subiunxit autor ipse d. l. Cùm enim th. 155. dixisset : *Non semper habere purum ministerium VERAM Ecclesiam*, idque contra Pontificios ostendisset ex Scripturis ; subiungit th. 164. *Alia au-temratio est*, quando Ecclesia inter se ratione puritatis doctrina opponuntur, & incorruptam & integrum separantur ; significans, se jam non in eo esse, ut Ecclesiæ particulares ratione puræ & impuræ doctrinæ oppositas consideret : ita enim de Ecclesia *VERA*, id est, pura alter loquendum esse, agnoscit ultrò : sed ut absolute declareret, quænam sit Christi Ecclesia, & quæmodò pura & incorrupta, modò impura & corrupta esse solet. Quin & illud addit seq. th. 165. sibi venire, nunc porro speciatim contra Pontificios probandum, quod corrupta Ecclesia nihilominus Ecclesia Dei sit, in qua sint, quamvis lateant, electi quam plurimi, quodq; manserit Ecclesia, nec interiorit eriam in medio Papatu, etiamsi Papatus ipse, hoc est, Pontifex cum suo conjurato clero non sit Ecclesia. Ubi res ipsa loquitur quid, cum probandum est, Ecclesiæ corruptam quoque esse Ecclesiæ Dei, vel *Ecclesiam VERAM*, Ecclesia vel vera Ecclesia non possit opponi Ecclesia virtutate & puritate, sed simpliciter opponatur non-Ecclesia, ut Ecclesia vel *VERA Ecclesia* dicatur, quæcumque non est nulla Ecclesia.

**XCIX.** Aliis alias adversariorum strophæ in causa sunt, cur de *Foreri stro-*  
*Eccle- phæ.*



Ecclesia **VERA** & falsa aliter atque aliter loquantur. Exemplo sint illæ, quas Jesuita Forerius in Umbella p. 33. seqq. Dn. Melchiori Nicolai opposuit: Lutherani, inquiens, docent, notas VERÆ Ecclesie esse puram predicationem Verbi, & legitimam Sacramentorum administrationem. Quero ergo, utrum Ecclesia Pontificia ante Lutherum, per mille annos, has notas haberet, annos? Sinon habuit! sequitur, nullam fuisse visibilem VERAM Christi Ecclesiam in mundo per mille annos, extra quam nemo salutem consequitur. Nemo igitur toto illo tempore salvatus est, quod absurdissimum. Nota enim ista, secundum vos, sunt essentiales VERÆ Ecclesie: ergo ubi illæ non sunt, ibi nulla est **VERA** Ecclesia, quia sine suis essentialibus subsistere nequit, & tamen tu dicas, NON ideo ECCLÆSIAM FUSSE NULLAM, quia tyrannide Pontificia fuerit oppressa: ergo etiam sub Pontificio isto regimine semper adhuc fuit & permanebat **VERA** Ecclesia. Ero semper etiam retinuit has notas. Si autem semper retinuit, impossibile est, ut illa simul errores, contra fundamentales fidei articulos, docuerit: quia simul puram doctrinam tradidisset, & impuram: quod implicat. Hæc Foreri, ut patet, continent syllagmum cornutum, cuius cornua sicut nata sunt matre æquivocatione, ita si frangi, vel ne nocere possint, obtundi debeant, res ipsa postulat, ut arte omnia tollatur æquivocatio, à qua habent, quicquid habere videntur virium. Si igitur Forerius Ecclesiam **VERAM** coaccipiat significatu, quo **FALSÆ** opponitur conradictoriæ, ut loquitur Gerhardus, seu prout Ecclesia **VERA** dicitur, quæcumque non est nulla Ecclesia, tunc negant Gerhardus, Gravverus, Mylius, Hutterus, locis suprà citatis, aliisque, quod pura Verbi predicatione & legitima Sacramentorum administratio sunt essentiales nota Ecclesie **VERÆ**. Predicatio Verbi & Sacramentorum administratio est nota Ecclesie simpliciter & absolutè loquendo: PURA Verbi predicatione & legitima Sacramentorum administratio est nota Ecclesia **PURE** & incorrupta, inquit Gerhardus d. l. **ECCLÆSIAM SIMPLICITER** gremadmodum facit, ita monstrat eam **SOLUS VERBI & SACRAMENTORUM USUS**, sed ad **VERITATEM** (i.e. puritatem) Ecclesia probandam majus aliquid requiritur, nempe **PURITAS** doctrinae & **LEGITIMUS** Sacramentorum usus; ait Mylius d. l. & ex ipso Jacobus Martini d. l. Aliud est, querere de notis Ecclæ.

Tom. V. p. 482.



Ecclesia VERÆ (h. c. ejus, quæ non est nulla Ecclesia) aliud de notis Ecclesia, quædamnes partes seu circumstantias PURÆ, scribit Graverus d. l. p. 286. & addit, hujus notæ esse SINCERAM Verbi predicationem & LEGITIMAM Sacramentorum administratiōnem: illius autem propriam & essentiālē notam convenientissimè assignari Verbum DEI revelatum & communicatum, quo Deus vocationem suam in Ecclesia efficit. Ita illi, si Ecclesia VERÆ priōri modo sumatur. Si verò Forerius eam in altero accipiat significatu pro Ecclesia PURA, tunc omnes uno fatentur ore, ejus notæ certas & infallibiles esse puram Verbi predicationem & legitimam Sacramentorum administrationem. Quo sensu etiam intrepidè assertimus, Ecclesiam Pontificiam ante B. Lutherum per mille annos non habuisse VERÆ Ecclesia notas, neque hodiè eas habere. Nec tamen inde sequitur, falsum esse, quod dixit Dn. D. Nicolai: non ideo Ecclesiam fuisse nullam, quia tyrannide Pontificia fuerit oppressa. Licet enim tyrannis Pontificia, quā per mille annos oppressa fuit, & magnam sui partem adhuc opprimitur Ecclesia, id olim efficerit, & hodiè efficiat, ut quanta quanta fuit & nuac est sub Papatu, quoad externam faciem & doctrinam publicam, auspiam appareret & appareat integra & incorrupta, tamen ut prorsus desineret & nulla esset Ecclesia, tam efficere non potuit tyrannis illa, vel etiam ipse inferorum portæ, quām non potuere efficere, ut Verbum DEI & baptismus in ea omni essent absque fructu.

C. Quod autem tantopere urget Forerius: Notas, juxta nos, *Nota an Ecclesia VERÆ essentiales, que ubi non sunt, ibi nullam esse Ecclesia essentiales sunt.* ECCLESIA intelligat Ecclesiam non vitiatam, non falsatam, sed puram, concedimus, quod ubi notæ illæ; pura Verbi predicatione & legitima Sacramentorum administratio non sunt, ibi nulla sit Ecclesia VERÆ i. e. pura & incorrupta. Sed si ulterius inferas: Ubi nulla est Ecclesia vera, i. e. pura, seu non falsata, ibi nulla est Ecclesia; negabitur consequentia. Commititur enim fallacia à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Nam quæ non est Ecclesia vera, hoc quidem significatu, illa non simpliciter; sed tantum secundum quid nulla est, nempe secundum quod non vera seu pura, sed corruptelis



corruptelis doctrinæ falsata est, perinde ut aurum, admixto cupro falsatum non est verum, i. e. purum aurum, nec tamen propter è simpliciter non est aurum, sed saltē secundum id, cuius administratio falsatum est, non est aurum. Si verò Ecclesiam *VERAM* accipiat altero significatu pro ea, quæ non est nulla Ecclesia, sicut non esse nullam Ecclesiam; & esse veram Ecclesiam, Forerius hoc loco pro iisdem habere videtur: tunc negatur, quòd vera Ecclesiæ essentiales nota à nobis statuantur *pura Verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio*. Diversum enim ostendunt verba, jam autè ex Gerardo alioq; Theologis citata. Ita ergò dilemmati Foreriano utrumque fractum est cornu, ut ab eo nihil aduersi nobis metuendum sit.

*Nova objectio  
Forerii.*

CI. Sed nondum satis riugarum! Ex prædicta Theologorum sententia, quòd cùm publica Ecclesiæ doctrina impura & variis corruptelis adulterata est, non statim Ecclesia desinat; *Forerius d. l.* novam contradictionem fabricare conatur, hac usus illatione: *Si Ecclesia VERA Catholica potest esse & permanere, VERA Ecclesia, & simul etiam errores in fide contra articulos fundamentales (qualis idolatria & alia horrenda publicè docere, tunc quoad doctrinam Ecclesia simul potest esse Christi sponsa & cortum diaboli, simul esse virgo & meretrix: simul servire Christo & Belial: simul conjungere lucem cum tenebris; simul esse sancta & impia; simul esse vera & falsa; simul esse Apostolica & diabolica. Sed consequens est absurdissimum, Christo injuriosissimum, summisq; encomiis & proprietatibus vera Ecclesia in S. Scriptura clavè expressis, SS. Patrum assertionibus, & ipsi rationes contrarium: quia ista omnia sunt manifestè pugnania inter se. Ergò & antecedens. Ita rursum ille, sed frustrâ defudat in re alias non difficili, tantum ut veritati tenebras offundat. Quas ut discutamus, ante omnia repetendum est, quòd Ecclesia VERAE appellatione hic itidem intelligenda veniat non præcisè Ecclesia PURA, sed altero significatu, quacunque NON EST NULLA Ecclesia. Nam eo significatu, quo Ecclesia VERA tantum dicitur, quæ pura est, nemo sa-nus in controversiam vocare potest, aut querere, an Ecclesia VERA, i. e. PURA possit esse & permanere VERA, i. e. PURA ECCLESIA, & simul errores in fide contra articulos fundamentals publicè*



publicè docere? Quia enim errores in fide Ecclesiæ reddunt impuram, rediret questionis sensus tandem hoc: an Ecclesia pura possit esse & permanere pura; & simul non esse & non permanere pura Ecclesia; quæ est aperta contradic̄tio. Deinde in Ecclesia VERA. i. e. quæ non est nulla Ecclesia benè distingueda sunt ipsa Ecclesia secundum s̄e, & id, quod ipsi accidit, seu quod ex accidente cum ea conjungitur. Ipla Ecclesia secundum s̄e sunt verè credentes & sancti, qui in visibili errantium & fidei doctrinam depravantium cœtu continentur, & amplectuntur Verbum DEI, & quicquid Verbo DEI conformiter in eo per ministerium alias corruptum proponitur. Eadem verò accidit, quod hypocritæ & mali admixti in illa dominantur, & doctrinam publicam adulterant. Illi, non obstante horum dominio, sunt & manent Christi Ecclesia. Hi neque fuerunt unquam, neque sunt Christi Ecclesia. Ab illis, & à vera, quam tenent, Christi doctrina habet vocatorum cœtus, quod adhuc vera, h. e. non planè nulla Ecclesia est. Ab his & à falsa, quam propugnant, doctrina idem falsa, h. e. fallata, impura, corrupta Ecclesia dicitur.

CII. Aut ergo antecedens objectionis Forerianæ loquitur de Ecclesia VERA, secundum idem considerata, & sensus est, quod aliquis vocatorum cœtus secundum idem possit esse & permanere VERA Ecclesia, & simul errores in fide contra articulos fundamentales publicè docere; aut loquitur de eadem secundum aliud arque aliud consideratā, ut sensus sit, eam posse esse & permanere VERAM Ecclesiam secundum id, secundum quod Ecclesia est: est autem Ecclesia, quatenus verè credentes & sanctos, veram Christi doctrinam retinentes intra se continent; secundum aliud autem & quatenus hypocritas & malos in se continent, errores in fide contra articulos fundamentales publicè docere. Si illud negatur antecedens, quod nemo nostrum afferuit unquam. Sia hoc? lubrica erit consequentia. Ex antecedente enim sic intellecto non sequitur, quod Ecclesia VERA, i. e. quæ non est planè nulla Ecclesia, secundum idem & quoad eandem doctrinam possit simul esse sponsa Christi & scortum diaboli, sed si quicquam, hoc inde sequitur; eam posse esse Christi sponsam secundum id, secundum quod Ecclesia est, & verè credentium ac sanctorum congregatio-

Resp. ad arg.  
Forerio



nem continet, & quoad veram Christi doctrinam, quam verè credentes in ea amplectuntur; esse autem scortum diaboli secundū aliud, nempe quoad hypocritas & malos, qui in ea dominantur, & quoad errores, quos contra fundamentales fidei articulos publicè docent. Vel, ut clarius dicam, hoc sequitur: in vocatorum cœtu, qui VERA, i. e. non nulla Ecclesia est, verè credentes & sanctos, qui veram Christi doctrinam retinent intemeratam, esse sponsam Christi; hypocritas autem & malos, qui admixtis corruptelis eam adulterant, esse scortum diaboli; illos esse virginem; hos meretricem; illos servire Christo; hos Belial: illos esse lucem in Domino; hos tenebras: illos sanctos; hos impios; illos Ecclesiam Apostolicam; hos diabolicam. Inter hæc num pugna est, Forer & Annon Christus ipse docet, in eodem Ecclesiæ agro esse & triticum & zizania inter se permixta, & futurum, ut tempore messis hæc colligantur, & in ignem conjiciantur; illud vero concregetur in horreum, Matth. XIII. 30. Hisce vero quid aliud doceat, quam quod haecen nos docuimus? nempe significat, quod licet sancti, qui tritico, & mali qui zizanis comparantur, in uno Ecclesiæ cœtu sint permixti, tamen illud ipsum inter eos discrimen intercedat, quod jam jam inculcavimus. Quia enim sub rerum omnium finem reapse separabuntur, & mali instar zizaniorum in ignem, qui paratus est diabolo & angelis ejus, Matth. XXV. 41. detruvi diabolo associabuntur, & vere credentes autem & sancti regnum, sibi paratum ab exordio mundi v. 34. ingressi Christo conjungentur, neesse utique est, hosce in hac etiam vita Christi sponsam fuisse, ipsiāque servisse, illos autem diaboli fuisse scorum, & servisse Belial &c. ut ut exteriū fuerint inter se commixti. Neq; enim in altera vita alii coniungentur Christo, quam qui hac in vita ipsi fuerunt per fidem conjuncti, ipsiāque serviverunt; vel diabolo alii associabuntur, quam qui hæc in vita ejus fuerunt mancipia.

Alia Foreri illatio.

CII. Atque hinc fluit etiam responsio ad alterum, quod ibidem objicit Forerus: Etiam, inquiens, concederemus, VERAM catholicam Ecclesiam ante Lutherum fuisse in gravissimos errores prolapsum (quod tamen non concedimus) vel adhuc permanesset VERA catholica & Apostolica Ecclesia, vel non permanesset. Si permanesset

ſiſſet! non potuiffent Lutherani ſe ab illius cōmūnione ſegregare, cūm  
Ecclesia VERA ſit tantum uanca, extra quam nemo ſalvāri potest &  
non potuiffent illius cōmūnionem ſine ſalutis eterno diſpendio dēſere-  
re. Si autem non permaniſſet! iđeo non permaniſſet, quia non poſſunt  
ſimul ſtare VERA Eccleſia, & errores fundamentalibus articulis con-  
trari: quod Tuā aſſertiō repugnat, qui dicit, iſta ſimul ſtare  
poſſe. Quibus perinde ut in præcedentibus Eccleſiam VERAM Fo-  
rērus accipit in oppositione ad non-Eccleſiam, prout VERA dici-  
tur, quæcumque non eſt planè nulla Eccleſia. Eam verò vel ſecun-  
dum idem considerat, vel ſecundum diverſa. Si ſecundum idem  
tunc ipſi quārenti: An Eccleſia VERA, poſtquam in gravifſimos  
errores prolapsa eſt, adhuc permanerit VERA, catholica, Apoſtoli-  
ca Eccleſia; reſpondemus negati\, dicentes, ſecundum illam ſu\ partem, ſecundum quam in errores ita graves prolapsa eſt, eat\  
non permaniſſe Eccleſiam VERAM, Catholica\, Apoſtolica\, Il-  
la enim gravifſimos erroribus implicata ejus pars, quā talis, non eſt  
Eccleſia, niſi ſolo nomine & æquivocè. Quin & hoc concedi-  
mus, quod quoad illam partem idem non ſit vel permanerit Eccleſia,  
quod Eccleſia VERA ( h. e. quæ non ſolo nomine ſed ipſa re  
Eccleſia eſt) qua talis & errores fundamentalis ſimul ſtare non poſ-  
ſint. Quod autem Forērus dicit, hoc noſtræ repugnare aſſertiō, qui  
dicamus, iſta ſimul ſtare poſſe; in eo fallit & fallitar. Nunquā enim naſ  
docuiimus, Eccleſiam, qua talem, ſeu ſecundum id, ſecundum quod  
VERA, h. e. reiſpla Eccleſia aliqua eſt; & errores fundamentalis poſ-  
ſe ſimul ſtare, ita ut illi ipſi, qui fundamentalis errores amplectuntur,  
adhuc Eccleſia VERA, h. e. aliquid Christi Eccleſia ſint & man-  
eant. Si ſecundum diverſa accipiat Eccleſiam VERAM, dicimus,  
cam poſtquam in gravifſimos errores prolapsa eſt, permaniſſe &  
non permaniſſe VERAM, ſeu aliquam Eccleſiam, ſed ſecundum  
aliam atque aliā ſu\ partem. Non permaniſſit Eccleſia quoad cam  
partem, quæ conſtat hypocritis & malis, qui erroribus ita gravi-  
bus implicati reſtē ſentientes opprimunt & perſequuntur. Perma-  
niſſit autem Eccleſia ſecundum alteram ſu\ partem, quæ conſtat verē  
credentiis & sanctis, qui introductis erroribus gravioribus non  
adſtipulanſur.

CIV. Quod autem Forērus hinc infert: Si, inquiens, per *Conſequentia*  
13 man- Forēri exami-



natur. mansisset ( Ecclesia VERA ) non potuissent Lutherani se ab illius communione segregare ; id vel eo intellectum vult sensu : Lutheranos non potuisse sese segregare ab illius communione quoad eam partem , quâ VERA , h. e. adhuc Ecclesia est & permansit ; vel hoc : ipsos planè non potuisse absque salutis æternæ dispendio se segregare à communione illius , ne quidem quoad alteram ejus partem , quâ constat hypocritis & malis , Ecclesiam persequentibus , ejusque doctrinam publicam adulterantibus . Priori sensu consequens nobis non adversatur , Lutherani enim non segregaverunt sese ab Ecclesia Romana quoad eam partem , quâ Ecclesia est , h. e. à verè credentibus & sanctis , qui in ea sunt & Ecclesiam constituant illos enim agnoscunt Lutherani pro mēbris ejusdem corporis Christi , cuius ipsi sunt membra , h. e. Ecclesiæ , licet quot & quinā illi sint , distinctè non noverint . Quos si novissent , nec vel locorum distantia , vel Pontificiâ tyrannide , vel aliunde impedirentur , dubium non est , quin ipso actu cum illis communionem essent habitudi , parati ad opera charitatis ipsis pro eo ac oportet præstanda . Posteriori autem sensu negatur consequentia , nihil quicquam obstante , quod ad ejus confirmationem dicit Forerus : Ecclesiam esse tantum unicam , extra quam nemo salvandi posse . Hoc enim verum est de Ecclesia , sumta pro toto corpore Christi mystico , ex omnibus aggregato verè credentibus & sanctis , qui sub sole sunt ; falsum autem de Ecclesia , quæ tum temporis erat sub Papatu , & quæ adhuc sub ejus tyrannide ingemiscit . Hæc enim nunquam totum corpus Christi ; sed ejus tantum pars seu Ecclesia particularis & olim fuit & hodiè est . Sicut autem particulares Ecclesiæ statim ab Apostolorum tempore fuerunt plures : alia enim erat Corinthi , alia Ephesi , alia Antiochiae , alia Romæ &c. ita extra quamlibet tales homines salvandi poterant . Præterea Lutherani , ut dictum , ne ab illa quidem Ecclesiæ parte , quæ sub Papatu est , sese segregaverunt animo & affectu , sed tantum à Papatu , quâ tali , h. e. à Papa , clero & iis , qui traditionibus humanis , corruptelis & abusibus abominandis Ecclesiam onerant . Tantum verò abest , ut illi unica sit Ecclesia VERA , extra quam salvandi nemo possit , ut ne quidem Ecclesiæ propriè sic dicta pars , sed potius ejus hostes & persecutores sint , à quorum communione proinde Lutherani non poterant modo sese segregare absque ullo salutis æternæ dispendio , sed

sed, quantum in ipsis erat, debebant quoque id facere, vi divini illius  
moniti: *Exite ex ea( Babylone spirituali ) popule mi , ne participes*  
*stis peccatorum ejus , & ex plagi ejus accipiatis, Apoc. XIII. 4.* Quod  
pertinet & hæc Paulina : *Ne ducatis jugum cum incredulis. Quod*  
*enim consortium justitiae cum iniustitia? aut qua communio luci cum*  
*tenebris? aut qua concordia Christo cum Belial? aut qua pars fideli*  
*cum infideli? II. Cor. VI. 14 seq. Exite de medio illorum & separami*  
*ni ab illis, v. 17..*

CV. Breviter : Verè credentes & sancti debent, quoad *Apoc. XVII.*

possunt, se se segregare à meretrice Babylonica, matre illa scortatio-

<sup>1.</sup> s.

*num & abominationum terra, ne & ipsi inducantur ad bibendum,*

*de vino prostitutionis ejus , & ad scortandum cum illa. Et qui*

*eam deserunt, tam certum est, quod per hoc non deserant Eccle-*

*siā, quā certum est, meretricem illam , quā in Ecclesia suam*

*exercet tyrannidem, ebriā de sanguine sanctorum & de sanguine mar-*

*tyrum Iesu Christi; non esse Ecclesiam. Contrà autem qui hodiè*

*à nobis ad Pontificios transiunt , illi non ad Ecclesiā, quā est*

*sub Papatu, sed ad ipsum transiunt Papatum, nec subterfugere*

*ibid. v. 6.*

*possunt, quin bibant de poculo, quod mulier illa amicta purpura*

*& coco & inaurata auro & lapidibus pretiosis & margaritis, in*

*manu habet, pleno abominationibus & immundiciâ scortationis ejus. Apoc. XVII. 4.*

*Quod & è πρεσβύτῳ adjicio propter imperitiores , qui forsan*

*existimaverint, si sub Papatu etiam Deus sibi conservat Ecclesiam,*

*perinde fore, in hoc an in illo cœtu quis degat, modò in aliqua*

*degat Ecclesia. Longissimè enim à vero aberrat, quisquis ita sen-*

*tit. Nam licet minimè negetur , Christum conservare sibi Ec-*

*clesiam etiam in medio Papatu; tamen Ecclesia illa , in quantum Ec-*

*clesia & ab ipso Papatu tanquam Antichristi regno distincta est, ne-*

*que in se, neque ex doctrina publica conspici potest , ut ad illam*

*præcisè quis transire, eique per unam fidem se conjungere pos-*

*sit. Nam doctrina publica , ex qua innoteſcere debebat ,*

*non est mera & pura Ecclesiæ doctrina, sed Pontificis traditioni-*

*bus, corruptelis & erroribus quamplurimis permista , miserumque*

*in modum deformata. Quamvis autem verè credentes & sancti in ea*

*discernant vera à falsis, & illa amplectantur, hæc rejiciant, tamen di-*

*scritio hæc non peragit foris per prædicationem publicam, ex*

*qua*



qua animadvertere quilibet possit, quæ Ecclesiæ sub Papatu existentia doctrina vera; & quæ ipius Papatus corruptela sunt: neque enim per Pontificiam tyrannidem hoc licet; sed intus, Spiritus S. gratiâ in verè credentium cordibus per Verbum operante, eaque illuminante, ut superius n. LXXII. seqq. fuit ostensum pluribus. Non igitur præcisè ad Ecclesiam, quæ sub Papatu est, accedunt vel accedere posunt, qui à nobis deficiunt. Ignorant enim, quasnam doctrinæ publicæ tot modis corruptæ partes illa interius à Spiritu S. collustrata probet vel improbat. Relinquitur ergo, quod ad solum Papatum accedant, cuius etiam falsas doctrinas, traditiones, idolatrias & corruptelas omnes palam approbare coguntur, veritate illis oppositâ multis cum execrationibus abnegantâ. Quod qui faciunt, illi hoc ipso se obstringunt ad communionem non cum Ecclesia, quæ sub Papatu oppressa latet, sed cum ipso Papatu, quâ tali, habendam, non solum contra monita divina, paulò antè adducta ex Apoc. XIII. 4. & II. Cor. VI. 14. seqq. sed etiam contra severissimas ipsius Christi comminationes hasce: *Quisquis abnegaverit me coram hominibus, abnegabo eum coram Patre meo, qui est in cælis*, Math. X. 33. Luc. XII. 9. *Quemcunque puduerit me ac meorum sermonum in gente ista adultera & peccatrice, Filium eiusam hominis pudebit ejus, quando venerit in gloria Patri sui cum Angelis sanctis*, Marc. IX. 28. Luc. IX. 26. Quod spectat & illud Pauli: *Si abnegans, & ille abnegabit nos*, II. Tim. II. 12.

*Essentialia  
Ecclesiæ.*

CVL. Sed de hisce plus sat! Ut è diverticulo bene longo tandem in viam redeam, ex hac tenus dictis facilè est dignoscere, quæ Ecclesiæ essentialia sunt, & quæ eidem accidunt: nempe esse congregationem sanctorum, per veram & vivam fidem Christo capiti adhaerentium, Ecclesiæ essentiale esse, probatum dedimus superius, cum ostendimus, Ecclesiam per essentiam esse corpus Christi mysticum, aggregatum ex verè credentibus & sanctis, & fidem esse ipsam formam, per quam Ecclesiæ membra in esse membrorum constituantur. Deinde & illud certum est, quod absque Verbo DEI & Sacramentis, cum primis baptismi Sacramento, Ecclesia neque esse neque conservari possit. Ab illis enim dependet fides, per quam Ecclesiæ membra sunt, quod sunt: quæ proinde non incommodè essentialibus Ecclesiæ annumerantur, prout



prout quidem in hujusmodi entibus per aggregationem  
essentialia vulgo dici solent. Tertiò Ecclesia Christi est,  
non solum habere Verbum Dei & sacramenta, sed etiam per ido-  
neos ministros illa ad communem usum ipso actu adhibere cum ad  
nutriendos & conservandos in fide, qui jam ante geniti sunt, cum  
ad procreandos subinde novos filios, quorum accessu ipsa conserve-  
tur & ab interitu vindicetur. Quamvis autem Ecclesia, quantum in  
ipsa est, hoc faciat publicè, & ita, ut Verbum Dei doceat purè & in-  
corruptè; sacramenta itē administraret in substantialibus integra, mul-  
ta tamen intervenire possunt, quæ hanc ejus operam ad tempus in-  
aliqua ejus parte suspendant aut sufflaminent. Interdum enim  
tyranni, Ecclesiam affligentes & crudeliter persecuentes publicum  
religionis exercitum inhibent. Nonnunquam hærebes invalescen-  
tes impediunt, quod minus pure doceri Verbum Dei aut sacramenta  
per omnia recte administrari possint, quæ de re superius actum est  
fusius. Videatur etiam Gerhardus Tom. V. Loc. ubi à pag. 746. us-  
que ad 756 ex historiis Ecclesiæ cum Veteris tum Novi Testamen-  
ti ostendit, quām varia & diversa diversis temporibus fuerit Eccle-  
siæ facies, quantum attinet ad publicam Verbi prædicationem & Sa-  
cramentorum administrationem. Quod ante ipsum etiam fecit  
B. Hunnius Diff. L. à th. 115. usque ad 234. ubi inter alia Ecclesiæ  
N. T. faciem quadruplicem ex historiis monstrat: *primam tempore*  
Apostolorum *clarissimam* & maximè conspicuum. *Alteram S. Pa-*  
*trum tempore humanis traditionibus aliquantulū aspersam.* *Tertiam*  
*sub Papatu errorum & superstitionum tenebris obscuratam*, ut pro-  
pe nullos & admodum raros spargat radios. *Ultimam* pristino nitori  
restitutam, ubi cœpit Dominus Antichristum confiscare spiritu oris  
sui. Quibus gemina docent alii quoque Theologi. Unde licet  
Ecclesiæ per se conveniat docere *Verbum DEI PURUM*, & *Sacramen-*  
*ta RECTE* administrare, multumque ad ejus prosperitatem & ex-  
ternum splendorem faciat, si publicè hæc ita peragantur; ob me-  
moratas tamen Ecclesiæ, quoad præsens, vicissitudines inter ejus  
essentialia neq; nos referre ea possumus, neq; referre alii ex nostris  
solent, ut adversarii repugnant. Ad quorum strophas disputationes  
non male Dn. D. Jacobus Marius Partit. Theol. Diff. XXVII.  
judicat in *prædicatione Verbi* distinguendum esse *id*, quod est *Dei*,  
ab eo, quod est officii hominum. *Verbum in se consideratum*, inquit,

K

simpli-

*Turitas do-*  
*ctrina est Eccl.*  
*accidentalis.*



simpliciter divinū est. PRÆDICATIO VERBI est actus humanus tan-  
de SINCERITAS actus hujus, nempe p̄dicationis & professionis MO-  
DUS. PRIMUM, ait, simpliciter est Ecclesia necessarium, quandoquidē  
sine Verbo DEI Ecclesia non est Ecclesia, nēpe quae est cœtus, verbo divino  
evocatus: hoc itaque nullo vel tempore vel modo ab ipso potest separari.  
POSTERIORA DUCO, pergit idem, deberent quidem inesse de jure, :  
sunt, enīma conditiones à Deo mandata. Verū non semper insunt de  
facto: neque tamen propterea statim interit tota Ecclesia. Non enim

Tom. V. p. 721.  
& Conf. Cath.  
d. l. p. 1102. b.

statim perit actus primus, impedito vel suspensi actu secundo. Nec  
in commode Gerhardus distinguit inter splendorem Ecclesia internum,  
positum in fide, spe, caritate, & internis Spiritus sancti donis;  
& externum, qui in frequentia hominum, tranquillitate à persecutio-  
nibus, claritate & puritate doctrine publicè Sonantis, ministerio Verbi  
incorrupto &c cōsistit. INTERNUS, inquit, Ecclesia splendor est illi ES-  
SENTIALIS & p̄petuus; EXTERNUS vero ACCIDENTALIS & repor-  
talis. Quod in seqq. fusè propugnat cōtra Bellarminū, & interalia illu-  
strat similitudine à phasibus Lunæ petita, cum qua Ecclesiam con-  
fert Ambrosius IV. Hexam. c. IIX. Quemadmodum enim Luna inter-  
dum plena luce resulget, quamāque vero silet et inconspicua est, & va-  
rias omnino Phasēs, defectus, orru, decrementa & incrementa obtinet,  
sic Ecclesia CHRISTI modo fulget per publicum & liberum divini cultus  
exercitium, modo obscuratur per gravitatem persecutionum & heresū  
invalescentium, tandem tamen ex obscuritate emergens de persecutio-  
nibus & heresibus gloriosum reportat triumphum. Verba sunt Ger-  
hardi d. l. Confer eundem in Conf. Cathol. d. l. a. V. c. III. p. 103.  
& p. 1107. Eundem in sensu Hutterus in Disputatione, quæ inter  
viginti duas hīc Jenæ olim habitas decima tertia est, th. 72 seqq. NE-  
QUE, ait, semper ad ESSENTIAM Ecclesia omnimoda PURITAS  
& incorrupta planè publici ministerii requiritur conformitas. Cor-  
ruptissimum certè erat ministerium Eliae, Elisei, Josie, ipsius etiam  
naescens Christi temporibus, nihilominus tamen tunc quoque vera  
fuit Ecclesia, vel ipsis adstipulantibus Pontificiis. Verum utitur

Matth. 23.2.

interdum Ecclesia vera etiam corrupto ministerio, secundum illud Chri-  
sti: In Cathedra Moysis sedent Scriba & Pharisai: quod dixerint vobis,  
facite. Et sancè quemadmodum tempore Christi Ecclesia vera corru-  
pto utebatur ministerio: sic superioribus temporibus potuit sub corru-  
pto



pto ministerio aliqua vera conservari Ecclesia: quatenus nimirtim illud sed sit in cathedra Christi & Apostolorum, cuius tamen ministri Antichristi, immo ipsius Satana alias fuerunt mancipia &c. Ubi obiter monco, Ecclesiam veram dici hic etiam ab autore beato non praecepit, quae pura est: repugnat enim, Ecclesiam hoc significatu esse veram, & tamen ejus ministerium publicam esse corruptum: sed simpliciter quaecunque non solo nomine, sed ipsa re Ecclesia est. Plura hanc in rem, qui desiderat, apud Theologos inveniet passim. Quod pertinent etiam, quae superius n. XCIV. & XCVII. citavimus.

CVII. Hæc quanquam manifesta sint, ab adversariis tam  
men, nescio an serio, negantur, qui varia, magnam partem superius à nobis discussa objiciunt. Inter alia obtendunt etiam auto-  
ritatem Confessionis Augustanae ejusque Apologiae. Illius quidem,  
quæ art. VII. Ecclesiam, quam dixerat unam, sanctam, perpetuam man-  
suram, definit per rectam seu puram Evangelii doctrinam & re-  
ctam Sacramentorum administrationem. Hujus vero, quæ notas Ecclesiæ externas, ex quibus agnoscit possit, constitutam PURAM  
Evangelij doctrinam, & administrationem Sacramentorum conser-  
taneam Evangelio Christi p. 145. & p. 148. Ex quibus colligit Fore-  
rus in Umbell. p. 33. scq. Ecclesiæ hoc esse perpetuum & essentiale,  
ut rectè doceat Evangelium & rectè administraret Sacra menta. Et  
Kircherus Apostata, ut est Apud Wagnereckii d.l.p. 232. hanc inde in-  
fert conclusionem: Ergo vel ad versariorum (Lutheranorum) pu-  
blico & communi calculo nullum tempus reperitur ab Apostolis inde;  
quo non fuerit talis Sanctorum congregatio, in qua Evangelium RE-  
CTE doceretur & RECTE administrarentur Sacra menta. Ita et-  
iam alii.

CVIII. Verum tantum abest, ut vel Augustana Confessio  
vel ejus Apologia adverteretur iis, quæ hactenus docuimus, ut illa potius confirmaret. Nam Aug. Conf. per omnes ferè articulos taxat erro-  
res, qui superioribus seculis in Ecclesiam irrepererant, ejusque doctrinam  
publicam multis modis contaminaverant, & tamen agnoscerunt, tum et-  
iam permanuisse Ecclesiam Dei, & mansuram esse perpetuam. Quin &  
ante Christum sub corruptissimo Scribarum & Phariseorum mi-  
nisterio superfluisse Ecclesiæ significatur art. VIII. cùm dictu Christi  
(sedent scriba & Pharisai in cathedra Moysi &c.) citatur ad pro-  
bandum,

bandum, quod uti licet Sacramentis, quæ per malos in Ecclesia  
 administrantur. Quibus adstipulatur *Apologia art. VII.* cuius  
 inter alia hæc sunt verba: *Neque verb somniamus nos Platonicam*  
*civitatem, ut quidam impie cavillantur, sed dicimus existore hanc*  
*Ecclesiam, videlicet vere credentes ac justos, sparsos per totum*  
*orbem. Et addimus notas, PVRAM doctrinam Evangelii, &*  
*Sacramenta. Et hac Ecclesia propriè est columna veritatis. Retinet*  
*enim PLURIMM Evangelium, & ut Paulus inquit, FUNDAMENTUM,*  
*hoc est, veram Christi cognitionem & fidem, exsistens in his*  
*miam imbecilles, qui supra fundamentum adfiscant stipulas periu-*  
*ras, hoc est, quasdam inutiles opiniones, que tamen, quia non*  
*evertunt fundamentum, tamen condonant illis, tamen etiam emen-*  
*dantur. Ac sanctorum Patrum scripta testantur, quod interdum*  
*stipulas etiam adfiscaverint supra fundamentum, sed que non ever-*  
*terunt fidem eorum. Verum pleraque istorum, que adversarii no-*  
*nstri defendunt, fidem evertunt, ut quod damnant articulum de*  
*remissione peccatorum, in quo dicimus, fide accipi remissionem pecca-*  
*torum. Manifestus item & perniciosus error est, quod docent*  
*adversarii, mereri homines remissionem peccatorum dilectione erga*  
*Deum ante gratiam. Nam hoc quoque est tollere fundamentum,*  
*hoc est, Christum. Item quid opus est fide, si Sacra menta ex opere*  
*operatoris fine bono motu utentis iustificant? Sicut autem haber Eccle-*  
*sia promissionem, quidam semper si habitura Spiritum Sanctum: ita*  
*haber communiones, quod sint futuri impii doctores & lupi. Illa*  
*vero est propriè Ecclesia, qua haber Spiritum sanctum. Lupi &*  
*malii doctores eti griffantur in Ecclesia, tamen non sunt propriè*  
*regnum Christi. Hæc ibi: in quibus observandum est, quod pura*  
*doctrina Evangelii, quæ prior constituitur Ecclesiæ nota, explicet*  
*tur de puritate, quæ excludat errores, fundamentum fidei tol-*  
*lentes, nec negetur aliqui contingere, & contigisse olim Patrum*  
*temporibus, ut aliquas stipulas adfiscare doctores supra funda-*  
*mentum, iisque publicam doctrinam contaminarent, Ecclesiæ*  
*manente. Deinde fieri etiam posse, ut fundamentales errores*  
*per impios doctores & lupos publicè doceantur & defendantur,*  
*nec tamen Ecclesia statim penitus extinguitur, non obscurè in-*  
*nuant verba hæc: Lupi & malii doctores eti griffantur in Ecclesia,*  
*tamen*

tamen non sunt propriè regnum Christi. Per lupos enim & malos doctores intellige eos, qui fundamentales propugnant errores, evincunt antecedentia. Dum autem in Ecclesia graftari dicuntur, hoc ipso sub eorum ministerio aut tyrannide Ecclesiam esse significatur. Neque enim graftari in Ecclesia possunt, si ubi graftantur, Ecclesia conservari nequit. Sed in qua Ecclesia lupi & mali graftantur, ea non habet puram doctrinam Evangelii, in usu publico constitutam. Lupi enim & mali doctores hoc ipso, quod in ea graftantur, corrumptunt illam. Ergo juxta Apologiam Ecclesia potest tum etiam esse & manere, cum doctrina publica non est pura. Ergo doctrina ratione prædicationis publicæ pura, juxta eandem, non est de essentia Ecclesie, absolutè ac simpliciter sic dicta.

CIX. Ut igitur directè ad propositam dubitationem respondamus, sciendum est, Augustanam Confessionem ejusque Apologiam considerare dd. II. Ecclesiam non simpliciter & absolutè, ratione eorum, quæ semper & quovis in statu ei conveniunt, sed ratione sui nativi status & extra persecutionis casum: Vel, ut clarius dicam, considerant Ecclesiā, qualis per se & suā naturā est, quando nullis pressa persecutionibus, nullisque obiecta est corruptelis, sed in connaturali, ut ita loquar, statu suo constituta plenā gaudet libertate. Tunc enim ei per se convenit, ut non solum puram Evangelii doctrinam intus in fidelium cordibus habeat defixam, sed foris etiam per ministerium publicum recte doceat, & Sacramenta ritè admittat, ut superius ostensum est n. LIX. LXV. in quod etiam omni ope nititur, idq; facit fideliter, quamdiu non aliande in officio impeditur. Quo sensu etiam ejus notæ externæ in *Apologia* rectissimè constituitur duæ: *Pura Evangelij doctrina, & administratio Sacramentorum, consentanea Evangelio Christi.* Ubiunque enim datur Ecclesia, nullis pressa persecutionibus, nullisque doctinis falsis, sed in suo quasi connaturali statu constituta, suaque gaudens libertate, ibi Verbum Dei docetur pure & Sacramenta administrantur recte: & contrà ubi Verbum Dei, nemine impediente, docetur pure, & Sacramenta recte administrantur, ibi est Ecclesia non pura, non obscurata corruptelis, sed in suo quasi connaturali statu constituta, suaque gaudens libertate. Quod si vero

Aug. Conf. &  
Apol. mens  
explicatur



tyranni publicum religionis exercitium in aliqua Ecclesiaz parte ad tempus inhibeant, vel falsi doctores in ea dominantur, & publicam doctrinam corrumpant, tunc licet non oppidò Ecclesia definita esse, definit tamen esse Ecclesia libera, integra & incorrupta, ejusque nativa facies mutatur per vim corruptelasque, doctrinæ publicæ aliunda & præter Ecclesiaz naturam illatas. Unde ex notis illis etiam negative colligere licet, hoc modo: Ubiunque non sonat pura Evangelii doctrina, nec administratio Sacramentorum consentanea Evangelio Christi in usu est, ibi non est Ecclesia in suo connaturali statu constituta, & qualis per se & suā naturā esse debet, sed si aliqua ibi est, presta & corruptelarum nube obscurata Ecclesia erit &c. quam aliàs ab malorum, in ea grassantium, & publicam doctrinam adulterantiū multitudinem, absolutè Ecclesiam falsam dicimus. Vide superius n. LXXXIX. & seq. XCII.

*Cur A. C. ita  
definiverit  
Ecclesiam.*

CX. Causam, cur d. l. ita consideraret & definiret Ecclesiam, Augustana Confessio, non est, quod procul accersamus. Res enim ipsa hoc requirebat. Nam quod ante Lutherum in medio Papatu conservata fuerit Ecclesia, largiebantur Protestantes ultrò, nec Pontificii negabant. In hoc autem erat dissensus, quòd hi dicerebant, ipsum etiam Papatum esse Ecclesiam, seu Pontificiam Ecclesiam, quæ talem esse Ecclesiam, qualis à Christo primitùs instituta est, & suā naturā esse debet, quando nullis obnoxia est persecutionibus, nullis corruptelis; & qualis nunc Pontificia est, talem jam inde ab Apostolorum temporibus fuisse Ecclesiam Christi, & semper esse debere. Illi contrà statuebant, ipsum Papatum non esse Ecclesiam Christi, sed regnum Anti-christi; sub Papatu autem fuisse hodiéque esse Ecclesiam, sed prestam, & gravissimorum errorum ac corruptelarum nube tectam & obscuratam, quæ proinde Pontificio jugo excusso, & erroribus corruptelisque antichristianis, quibus oppressa ingemiscit, ejectis suo nativo statui & pristino nitoris restituenda, Cujus ad controversiaz decisionem quærenda erat definitio, quæ declararet, qualis per se & suā naturā sit & esse debeat Ecclesia, quando non est Antichristi tyrannide aut aliàs doctrinis falsis oppressa & obscurata, & ostendendum, quibus ex notis cognosci possit & debeat. Talis autem definitio brevior & accuratior dari non poterat, quam illa in Aug. Conf. art. VII. alata

lata; nec aliae exque certae ac infallibiles nota, ex quibus cognoscatur, ostendi poslunt, quam pura Verbi predicatio & legitima Sacramentorum administratio, que in Apol. d. l. ei assignantur.

CXI. Ita jam olim Hutterus respondit adversariis, autoritatem Loc. Comm. Augustana Confessionis, qua inter notas Veræ Ecclesiæ referat, etiam de Eccles. puram Verbi DEI predicationem & legitimū Sacramentorum usum; fol. 533.

itidem objicentibus, & inde hanc inferentibus conclusionem:

Ergo de essentia veræ Ecclesiæ est, ut semper habeat ministerium ex omni parte incorruptum. Quam ad objectionem ille, respondeo, inquit, distinguendo inter statum Ecclesiæ vera proprium sive liberum, & inter statum ejus accidentalem sive tyrannide pressum. Confessio ergo Augustana considerat Ecclesiam, quatenus ea in statu suo proprio & integro liberoq; substitit ubi corruptum ministerium ad essentiam Ecclesiæ Verae requiri. Secus vero statuendum de statu Ecclesiæpresso sive servo, ubi heretici dominatum obtinuerint. Hic enim sufficit, ut quale, quale, etiam corruptum sit ministerium: id quod exemplo Ecclesiæ Israëlitica sub Veteri Testamento evidenter illustrari potest. Quatenus enim statu suo libero atque integro finebat, canebat cum Davide ex Psal. 147. 19. & 20. Quia annunciat Verbum suum Jacob: iustitas & judicia sua Israël: Non fecit taliter ulli nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Quatenus vero pressa erat variis Sacerdotiorum corruptelis, ingemiscerat cum Propheta Jesaiā, quod omnes speculatores sui sint caci, Jesai. 56. 10. Et Hafner referrus in Locis Theol. lib. III. loc. VI. de Eccl. postquam dixerat, Ecclesiæ notas esse Verbum DEI sincerum, & legitimum Sacramentorum usum; hanc subjicit objectionem: Ergo sub Papatu, ubi uirumq; horum corruptum fuit, nullam fuit Ecclesia? & ad eandem respondet: Imo vero fuit. Nam ad felicem quidem & florentem Ecclesiæ statum requiritur, ut verbi ministerium purum & Sacramentorum usus legitimus sit & omni ex parte integer: quo tamen modon non semper foret. Alias sequeretur, ante Iohannis Baptiste & Christi Salvatoris ministerium nullam omnino Ecclesiam fuisse &c. Eodem collineat Graverus, quando in Exeg. Aug. Conf. art. VII. p. m. 16. distinguit inter Ecclesiam in se & per se consideratam, qualis esse debet; & inter Ecclesiam consideratam, non quidem qualis esse debet, sed qualis est. Illo modo cum consideratur, requiri



quiri dicit, ut in ea Verbum DEI purè docatur, & Sacra menta recte administrantur. Quatidū autē posteriori modo consideratur, sufficere ait, quod Verbum DEI in ea docetur, & Sacra menta administrantur, licet non per omnia purè Verbum DEI doceatur, nec legitimè per omnia administrantur Sacra menta. Nam quia, inquit, quadam tenuis retines predicationē Verbi DEI & usum Sacra mentorum, hac ratione etiam Ecclesia DEI dicitur: quia Deus etiam sub corrupto ministerio Evangelii Ecclesiam suam conservare potest &c. Et Tom. I. Disp. Anti. Jes. Disp. III. th. 37. Insuper ipsius visibilis Ecclesia consideratio diversa in hac questione non est negligenda: vel enim consideratur in statu etiam quoad externam formam puro & incorrupto: vel in statu impuro & quoad externam formam aliqua ex parte corrupto. --- Pro hac diversa consideratione etiam de notis Ecclesie, qua a nostris Theologis assignari soleut, nempe sincera verbi prædicatione, & legitimā Sacra mentorum administratione deversimode pronunciandum erit. Quando Ecclesia priori modo atque sic comparatè accipitur, nota Ecclesia ab illis bac duo recte dicuntur: tum enim queritur, quibus notis Ecclesia etiam quoad externam formam pura distinguitur ab inspura, corrupta ab incorrupta, & quanam sit pura ac incorrupta, quanam vero corrupta & impura? Quo observato corrunt pleraq[ue] sophismata, qua adhanc sententiam ceterandam objici solent. Simpliciter autem & absoluè loquendo propria & essentialis Ecclesia nota convenientissime assignabitur Verbum DEI revelatum & communicatum, quo Deus vocationem suam in Ecclesia efficit: hoc enim adeo proprium est Ecclesia, ut ab ea separari nequeat, ac reciprocè cum eadem convertatur. Ita Graverus: cui suffragatur Gerhardus Tom. V. de Ecclesia p. 834. scribens: Visibilis Ecclesia quoad formam externam, sive quod idem est, quoad publicum ministerium consideratur vel in statu puro & incorrupto, vel in statu impuro & aliqua ex parte corrupto. Quando nota Ecclesia dicuntur pura Verbi prædicatione & legitima Sacra mentorum administratio, tunc consideratur Ecclesia in statu priori & comparatione facta non solum ad cœtus profanos, sed etiam ad Ecclesiam corruptam & impuram: idq[ue] recte fieri apparet ex eo, quod definitiones, regula ac canones dari debent de idea, quodq[ue] Ecclesia corrupta secundum notam & formam doctrine sincerioris & prioris



rioris reformanda, restituenda ac repurganda sint. Et pag. 866. Pura  
predicatio Verbi & puritas Ecclesia pari passu ambulant. Si pra-  
dicatio Verbi est omni ex parte pura & ab erroribus immunita, pura  
etiam erit Ecclesia. Si predicationi doctrinae caelestis admiscentur  
quidam errores, status Ecclesia incipit esse corruptus, non tamen  
statim definit esse Ecclesia. Confer Confess. Cathol. d. l. pag. 1134. &  
qua ex Hunno & Ziemanno citavimus superius n. XCVII.

CXII. Quod si igitur Ecclesia Christi in terris adhuc mili-  
tans, propriè accepta definienda sit absolutè & simpliciter per ea,  
qua omni tempore omnièque in statu ipsi convenienti, non incom-  
modè forsan dixeris, eam esse congregationem verè credentium &  
sanctorum, in qua Spiritus S. per predicationem Verbi & usum sa-  
cramentorum efficax est, regenerat, Christique capiti per fidem unit  
& sanctificat omnes, qui ejus gratia obicem non ponunt.

CXIII. Alias communiter distinguant autores inter Ec-  
clesiam generatim ex vocatione, & speciatim ex electione spectatam.  
Ilo modo cùm consideratur, definit eam Hunnius in Tr. de Ec-  
cles. quòd sit cœtus visibilis vocatorum, qui amplectuntur Verbum  
Dei, & utuntur Sacramentis, Verbo divino annexis. Et Disp.  
XLIX. thes. 27. Ecclesia, inquit, est cœtus hominum, voce Evangelij 455.  
vocatorum, audientium Verbum Dei & utentium Sacramentis à  
Christo institutis: per quod verbum & Sacra menta Deus regenerat &  
uni capiti Iesu Christo inservit fideles, quibus ejusdem doctrinae professio-  
ne, eorundemque sacrorum externo usu admixti sunt, in hoc quidem  
seculo, multi hypocrisia, impi & non renati, quandoque ab electis  
seu palea & zizania à tritico separandi. Similiter Disp. L. th. 236.  
definit eam, quòd sit congregatio hominum, qui in mortem Christi, no-  
mine Trinitatis baptizati, doctrinam Christi, Prophetarum & Apo-  
stolorū recipient, & Sacramētū à Christo institutis utuntur, & th. 239. sub-  
jicit ejus distinctionē in integrā & corruptam. Integrā dicit, qua habet  
sinceram Verbi predicationem, & legitimū Sacramentorum usum;  
corruptam contrā. Ecclesiam autem Speciatim ex electione specta-  
tam definit ibid. th. 238. quòd sit cœtus eorum, qui verā fide, Verbo  
innixa, Christum apprehendunt, & fidei sue finem vitam consequun-  
tur eternā. Eadem distinctione utitur Hassenrefferus, & Ecclesiam vo-  
catorum definit, quòd sit cœtus audientium Verbum Dei & uten-  
tium

Ecclesia abso-  
lutè accepta  
definitio.

Ecclesia ab-  
solutè accepta  
definitio.

Tom. I. oper.  
fol. 1256.

Tom. V. fol.

455.

p. m. 495.

L

tium



rium Sacramentis instituūs à Christo , in quo omnes non resistentes Spiritui S. regenerantur, & unico capiti Christo inscruntur per predicationem Verbi & Sacramentorum usum. Electorum vero Ecclesiam dicit esse cōtum verā fide amplectentium Verbum Dei, & utentium Sacramentis divinitū institutis: quibus regenerantur, per fidem Christo capiti inscruntur, & ab eodem vivificantur, sanctificantur, glorificantur. Gerhardus sub finem Tom. V. de Eccl. unam adfert Ecclesiae definitionem, quæ ita habet: Ecclesia est cōtus hominum, per prædicationem Verbi & administrationem Sacramentorum ex mundo ad regnum Dei vocatorum & congregatorum, in quo cōtu sunt electi iuxta prænitionem Patris, vere scilicet ac per everanter in Christum credentes, quibus mixti sunt non-sancti, sed tamen eandem doctrinam profidentes.

Ecclesia Elec-  
torum & vo-  
catorum.

CXIV. Ita illi & clii Ecclesiam diversimodè considerant, & pro consideratione diversâ aliter atque aliter definiunt. Et sanè si bene res expendatur, negari non potest, hypocritas & malos esse hac in vita Ecclesiae admixtos, quod etiam Confessio Aug. art. VIII. ejusque Apologia inculcat multis. Neque negari potest, eos esse ad regnum Dei vocatos, utpote quibus una cum sanctis una eademque obtingit prædicatione Verbi, quâ vocatio ad regnum Dei peragitur. Reipsâ tamen verè credentes & sancti non sunt, licet tales videri velint, & vulgo habeantur obtemperitatem sanctitatis speciem. Unde si Ecclesia accipiat propriè, & consideretur præcise, ut est Christi corpus spirituale & mysticum, tunc potest ei tribui denominatio Ecclesia Electorum, præsertim si vox electorum latè sumatur in oppositione ad hypocritas & malos, & per electos intelligantur omnes verè credentes & sancti, sicut eam h. l. accipi debere Gerhardus monet Tom. V. de Eccl. p. 671, & in Conf. Cathol. d. l. c. l. p. 1061. Ecclesia enim sic considerata membra nulla dantur, præter verè credentes & sanctos, ut ostensum est suprà. Quod si vero Ecclesia annumerentur etiam hypocritas & malos non quod ejus vera membra sint, sed quod nobis talia esse videantur, propter quod verè credentibus sint admixti, & eandem Verbi prædicationem, eundemque Sacramentorum usum cum illis habeant communem, ut alteri ab alteris discerni hac in mortalitate non possint, tunc potest Ecclesia sic considerata dici Ecclesia vocatorum, & describi



scribi per congregationem vocatorum: quamvis fatendum sit, totum  
vocatorum coetum impropriè dici Ecclesiam, & per synedochen,  
quâ toti aliqui tribuitur, quod ejus tantum parti convenit. Propriè  
enim loquendo soli verè credentes & sancti, qui in vocatorum  
coetu continentur, constituent Ecclesiam Christi. Hypocrite au-  
tem & mali admixti, quamdiu non convertuntur, sunt in regno  
diaboli, ut superius declaratum est pluribus.

CXV. Quia etiam causa est, cur Augustana confessio, cuius du-  
ctum nos in praesentia sumus secuti, maluerit Ecclesiam definire per  
congregationem verè credentium & sanctorum, quâm per coetum  
vocatorum, quod contra Pontificios multis ostendit Apologia ejus  
art. VII. cujus verba digna sunt, quæ hic legantur. Ita autem illa habent:  
*Quanquam igitur hypocrite & mali sint socii hujus vera Ecclesia  
secundum externos ritus, tamen cum definitur Ecclesia, necesse est  
eam definiri, quæ est vivum corpus Christi: item quæ est nomine &  
re Ecclesia. Et multa sunt causæ. Necesse est enim intelligi, qua  
res principaliter efficiat nos membra, & viva membra Ecclesia.  
Si Ecclesiam tantum definiemus externam politiam esse bonorum  
& malorum, non intelligent homines, regnum Christi esse iustitiam  
cordis & donationem Spiritus Sancti, sed judicabunt tantum exter-  
nam observationem esse certorum cultuum ac rituum. Item quid  
intererit inter populum legis, & Ecclesiam, si Ecclesia est externa  
politia? At sic discernit Paulus Ecclesiam à populo legis, quod  
Ecclesia sit populus spiritualis, hoc est, non civilibus ritibus  
distinctus à gentibus, sed verus populus Dei, renatus per Spiritum  
sanctum. In populo legis præter promissionem de Christo habebat, &  
carnale semen promissiones rerum corporalium, regni &c. Et proprietas  
dicebantur populus Dei etiam mali in his, quia hoc carnale  
semen Deus separaverat ab aliis gentibus per certas ordinationes  
externas & promissiones. Et tamen mali illi non placebant Deo. Ac  
Evangelium afferit non umbram aeternarum rerum, sed ipsas res aeternas,  
Spiritum sanctum, & iustitiam, quâ coram Deo iusti sumus.  
Igitur illi tantum sunt populus juxta Evangelium, qui hanc promis-  
sionem Spiritus accipiunt. Ad bac Ecclesia est regnum Christi, di-  
stinctum contra regnum diaboli. Ceterum est autem, impios in po-  
testate diaboli & membra regni diaboli esse, sicut docet Paulus Eph.  
2. cum ait: Diabolum efficacem esse in incredulis. Et Christus inquit*

A. C. definit  
Eccl. per san-  
ctos.

p. 146



ad Phariseos, quibus certè erat externa societas cum Ecclesia, id est, cum sanctis in populo legis: praecerant enim, sacrificabant, & docebant; vos ex patre diabolo estis. Itaque Ecclesia, que verè est regnum Christi, est propriè congregatio sanctorum. Nam impii reguntur à diabolo, & sunt captivi diaboli, non reguntur spiritu Christi. Sed quid verbi opus est in re manifesta? Si Ecclesia, que verè est regnum Christi, distinguitur à regno diaboli, nosceste est, impios, cùm sint in regno diaboli, non esse Ecclesiam. Quoniam in hac vita, quia nondum revelatum est regnum Christi sint admixti Ecclesia, & gerant officia. Nec propter eā impii sunt regnum Christi, quia revelatio nondum facta est. Semper enim hoc est regnum Christi, quod spiritu suo vivificat, sive sit revealatum, sive sit tectum cruce.

CXVI. Sed ad descriptionem, superiùs à nobis traditam, redimus, singulas ejus partes declaraturi, sed paucis.

*Congregatio  
quid denotet.*

CXVII. Et primum quidem Ecclesiam diximus congregationem cum Aug. Conf. ejusque Apologia, congregationis voce non, tám congregandi actum, qui ad causam efficientem spectat, quám congregatorum statum intelligentes, ut congregatio sanctorum idem sit, quod sancti congregati, vel cœtus sanctorum congregatorum. Nec præcise externam & localem corporum; sed internam, & spiritualem animorum congregationem intellectam volumus, quâ sancti, ut ut per orbem dispersi & locorum intervallis disjuncti inter hypocritas & impios degant, per fidem tamen in Christo coniuncti, ejusque corporis mystici membra sunt. Ad quam spiritualem congregationem significandam benè dicit Apologia A. C. p. 146. Ecclesiam non esse politiam externam certarum gentium, sed magis homines sparsos per totum orbem, (& sic locorum intervallis longissimè disjunctos) qui de Evangelio consentiunt, & habent eundem Christum, eundem Spiritum Sanctum, & eadem sacramenta, atq; sic spiritualiter congregati sunt per hoc, quod per unam fidem, quâ credunt Evangelio, uni capiti Christo insiti sunt, unoq; ejus spiritu fovent & reguntur. Quia de congregatione loquitur cum primis etiam Christus Matth. XXIII. 57. quando suum erga Iudeos affectum planè paternum declaraturus gallinæ similitudinē adfert, quæ pullos suos colligit sub alas, fovens eos & à milvis aliisque rapacibus volucribus defendens; seque dicit eadem, in dōlō ge majore



gè maiore fidelitate voluisse illos congregare , h. e. voluisse per prædicationem Verbi eos ad se convertere ; & per fidem in ipso- rum cordibus accessam suo aggregare corpori ; aggregatosque spi- ritus sui influxu fovere , alere , adversus peccatum , diabolum & infernum protegere &c. atq; adeò quod gallina pullis suis præstat corporaliter , id ipsum voluisse se illis præstare spiritualiter , modò non ipsi resignarentur.

CXVIII. Licet verò in Ecclesia etiam visibiles conventus & externæ congregatiōes instituantur ad invocandum & laudandum Deum , & ad audiendum ejus Verbum , quibus Christus suam quoque præsentiam gratiosam promisit : *Ubi , inquiens , duo vel tres congregati sunt in nomine meo , ibi adero in medio ipsorum , Matth. XVIII. 20.* illæ tamen congregatiōes non sunt essentiales Ecclesiæ , utpote quæ hypocritas & malos etiam suo ambitu complectuntur , & statim tantum temporibus instituti solent , persecutiois tempore autem quandoque plane inhibentur , quamvis non absque piorum gemitis , qui nihil magis , quam in publicis congressibus Deum invocare , laudare , ejusque Verbum audire & discere desiderant , dicentes cum Davide : *Jehova dilexi habitaculum domus tuae , & locum tabernaculi gloriae tuae , Psal. XXVI. 8.* *Unum perii à Jehova , hoc requiram , ut habitem in domo Jehova omnibus diebus vita mea , ut videam pulchritudinem Jehova , & queram in templo ejus , Psal. XXVII. 4.* *Quam amabilia tabernacula tua , Jehova exercituum . Concupisit & desiderat anima mea atria Jehova , Psal. LXXXIV. 2.* *An- nunciabo iustitiam in caelum multo ; ecce labia mea non prohibeo &c. Psal. XL. 9.*

CXIX. Deinde diximus ; Ecclesiam esse verè credentium , & sanctorum congregationem : cuius rei ratio jam ex *Apologia Aug.* Conf. reddita est : nempe quia Ecclesiam hoc loco accipimus propriad , ad ejus essentiam non pertinent hypocritæ & mali , qui ei admixti sunt. Neque nobis adversantur , qui alias eam definit per con- gregationem vocatorum seu eorum , qui Verbum Dei audiunt & sa- cramenta utinentur. Licet enim sub vocari comprehendant etiam hypocritas & malos , Ecclesiam tamen illi accipiunt impropriè & eo significant , quo totus ex sanctis & non sanctis aggregatus cœtus Ecclesia dicitur per synecdochen , propter verè credentes & sanctos , in

Visibiles con-  
ventus.

Cur per cre-  
dentes definis-  
tur Ecclesia ,

eo comprehensos, ut sèpius dictum. Quando autem de Ecclesia propriè acceptâ & præcisè ratione essentia sua spectata agunt, tùm factentur & docent nobiscum, quod nulla ejus dentur membrava, *et*

*Forma membrorum Ecclesie.* *Præter verè credentes & sanctos.*

CXX. Credentium appellatione autem involvitur etiam firma, per quam Ecclesiæ membra sunt, quod sunt, seu in esse membrorum Ecclesiæ constituantur: nempe fides, quâ Christo capitî conjunguntur, ut in ipso unum sint corpus spirituale & mysticum, *Rom. XII. 5. I. Cor. XII. 12. 13.* Vide supran. XVI. & seqq.

CXXI. Reliqua, in definitione adjecta exprimunt causam efficientem, à qua dependet fides, per quam credentes capitî Christo inseruntur. Ea vero duplex est: *principalis & instrumentalis.*

CXXII. Principalis est Christus, ipsum Ecclesiæ caput, & Spiritus S. unus cum ipso ejusque Pater Deus, qui fidem in hominum cordibus operantur per unam eandemque potentiam divinam. Sicut enim alias opera divina ad extra sunt indivisa, ita & hominum regeneratio & sanctificatio est trium personarum unum indivisum opus. Quod autem speciatim Spiritui S. id adscribimus, dicentes, Ecclesiam esse congregationem verè credentium, in qua SPIRITUS SANCTUS EFFICAX &c. id sit per appropriationem, ut loquuntur Scholastici. Dicitur autem appropriationem modus ille loquendi, Scripturis sacris receptus, quo uni divinitatis persona tribuitur aliquis effectus, ac si ejus filius esset: proprius, qui tam ab omnibus tribus personis æqualiter dependet: sicut v. g. Spiritui S. peculiariter tribuitur, quod sit paracletus noster, *Joh. XIV. 16.* qui nobiscum sit, doceatq; nos, v. 26. ducat nos in veritatem, c. XVI. 13. qui mittatur à Deo in credentium corda, & clamet: Abba Pater, *Gal. IV. 7.* & habitet in iis, ut in templis suis, *I. Cor. III. 16. c. VI. 19.* ducat eos, & restetur in ipsis, quod sint filii Dei, *Rom. VIII. 14. 16.* auxilietur eorum infirmitatibus, intercedens pro ipsis gemitis inenarrabilibus, v. 26. atq; adeò quicquid Christus in Ecclesia tanquam caput in corpore suo operatur, id omne operari dicitur Spiritui suo, qui est Spiritus sanctus, tercia Trinitatis persona, non quod Christus ejusque Pater coelestis non æquè immediate concurrant ad singulos effectus, sed quod stylo Scripturæ effectus illi Spiritui S. peculiariter tribuantur, quamvis reipæ omnibus tribus personis sint communes. Quem loquendi modum sequuntur Scriptores hac in materia, & tribuantur Spiritui S. tanquam causa

causæ principali omnia opera gratia, quæ mediantibus Verbo & Sacramentis in Ecclesia peraguntur, non tamen exclusis Patre & Filio.  
Qua de re alibi.

CXXIII. Instrumentalis causa sunt Verbum & Sacra menta, per quæ Spiritus Sanctus fidem in hominum cordibus efficit, omnisque a capite Christo influxus in Ecclesiam diffunditur. Videatur supra. n.  
LII. seqq.

CXXIV. Quamvis autem Ecclesia sit, Verbum DEI docere, pure & Sacra menta institutioni Christi per omnia conformiter administrare, aliunde tamen hæc ejus opera nonnunquam impeditur, ut haec tenus fuit ostensum, ut tamen Ecclesia non statim definit esse Christi Ecclesia. Unde ne definitio Ecclesiae ita absolute accepta angustior esset suo definito, simpliciter diximus, Spiritum sanctum esse in Ecclesia efficacem per prædicationem Verbi & usum Sacra mentorum, non considerato, an per omnia ab erroribus pura sit prædicatio illa, nec ne. Quod si contingat, ut non per omnia sit pura, vel Sacra mentorum administratio non omni careat nævo, tunc distinguendum est cum in prædicatione Verbi tunc in Sacra mentorum administratione id, quod Christi est, ab eo quod hominum est & a falsis doctoribus admixtum. Illud ad Ecclesiam propriè dictam tunc pertinebit; hoc non, item. Per illud Spiritus S. erit efficax in creditibus; per hoc dia bolus in incredulis, Ecclesiae admixtis. Videatur supra n. LXXII. Atque in hac definitionis parte convenient omnes ex Hunno & aliis adductæ definitiones. In singulis enim requiritur ad Ecclesiam absolute & simpliciter acceptam, ut habeat Verbum DEI & Sacra menta, à Christo instituta. Quantum vero ad eorum usum attinet, præsupponunt omnes, Ecclesiam ejus intuitu modo fulgere; quando sc. fruitur Verbi prædicatione pura & incorrupta, & Sacra mentorum administratione per omnia legitimam; modo obscuriorum esse, cum ejus ministerium sc. corruptum est. Unde Hunnius in definitionis Diff. XLIX. th. 27. à se traditæ declaratione rationem redditurus, cur Ecclesiam dicat cœtum hominum, voce Evangelii vocatorum, audientium Verbum DEI & utentium Sacra mentis; subjungit hancce: Sunt enim Verbum & Sacra menta cœn. nota, quibus hic peculiaris in mundo populus à cunctis reliquis separatur ac cognoscitur, & addit: Qua nota quia nonnunquam

Instrumentalis causa.

th. 29.

th. 30.



quam effulgent nitidius, non unquam sub invalescentium erroribus  
& corruptelorum nebulis emicant obscurius: sit hinc, ut Ecclesia  
quoque non semper aquabili ratione floreat, sed ejus interdum  
melior, interdum vero deterior sit sors & conditio.

Ecclesia non  
pressa defi-  
nitio.

CXXV. Atque haec de natura & definitione Ecclesiae, ab-  
solue & simpliciter sic dicta, non considerato, an libera & extra  
persecutionis casum constituta; an vero pressa sit, & quadam  
corruptelarum nube obscurata. Quod si vero danda sit definitio  
Ecclesiae non pressa, nullis obscuratibus doctrinis falsis, sed in suo  
pristino nitore & quasi connaturali statu constitutae, seu Ecclesiae,  
qualis per se & suam naturam esse debet, recte cum Aug. Conf. ap.  
KII dicitur, Ecclesiam esse congregationem vere credentium & San-  
ctorum, in qua Verbum DEI recte seu pure docetur, & Sacra-  
menta recte administrantur. Quia hac de re plura, ut & de Ecclesiae attribu-  
tis, notis & distinctionibꝫ hoc loco agi poterant, ea in peculiari Dis-  
putatione, Deo volente, pertractabimus.

SOLI DEO GLORIA.

#### ERRATA.

Ab initio leg. S. Th. V. lin. 9. pro 16. l. 15. Th. VII. lin. 4. l. I. Cor.  
XII. 12. Th. II. X. lin. 4. l. n. m. n. e. l. excommunicatis. lin. 6. l. Bel-  
larmino. lin. 9. l. Pontificios. Th. IX. lin. 6. l. fidei. Th. XVII. in marg.  
l. membrorum. Th. XIX. l. ult. l. I. Pet. II. Th. XX. lin. 3. l. sunt. Th. XXI.  
lin. 6. l. gentiles. lin. 16. l. spiritualis. Th. XXIX. lin. 6. l. Jacobi II. Th.  
XL. lin. ult. pro & l. nt. Th. XLII. lin. 28. l. dicitur. lin. ult. pro. Act. II. l.  
Act. I. pro. c. XIII. 23. l. c. XIII. 23. Th. LIII. lin. 22. l. immitti. Th. LV.  
lin. 7. l. finem. Th. LVII. lin. 6. pro 21. l. 23. Th. LVIII. lin. 1. l. influxus. Th.  
LXV. lin. 19. l. quod. Th. LXXII. lin. antepenult. l. quamvis Th. LXXV.  
lin. antepen. l. Ecclesiam. Th. LXXVII. lin. 16. l. ineptiati. Th.  
LXXXIX. lin. 16. l. aphoris. Th. LXXXI. lin. 37. l. Pontifica. Th.  
LXXXV. lin. 9. l. Ecclesie. Th. LXXXIX. lin. 4. l. quam. Th. CV.  
lin. penult. pro 28. l. 38. Th. CVII. lin. 13. l. apud. Th. CIX. lin. an-  
tepen. pro ab l. ob. Th. CXI. lin. 10. l. incorruptum.



99 A 6948



Petrus VD 77



DISPUTATION  
DECIM

prop  
eudap  
ürde da  
nstehe  
e nich  
er D.  
us co  
ürde da  
große  
lung g  
beichen  
einem  
Wolfs  
gen.  
würde  
eig in  
eologi  
tias n  
Schr  
heen.

Dispu  
Gefal  
auch n  
ihr eu  
verzeh  
Gö  
en Kin  
en / vi  
Mittel  
vnd Z

g

2

1

0

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318

319

320

321

322

323

324

325

326

327

328

329

330

331

332

333

334

335

336

337

338

339

340

341

342

343

344

345

346

347

348

349